



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

## Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

### Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

### Links

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

DE  
RATIONE SYNTAXEOS LATINAE  
IN SCHOLARUM USUM ADORNANDAE.

---

P R O L U S I O  
AD INDICENDUM EXAMEN PUBLICUM  
IN  
SCHOLA FRIDERICIBURGENSEI  
HABENDUM.

---

SCRIPSIT  
*FRID. PET. JAC. DAHL,*  
IN SCHOLA FRIDERICIBURGENSEI DOCTOR PRIMARIUS.

---

HAUNIAE MDCCCXXIV.  
TYPIS DIRECTORIS JANI HOSTRUP SCHULTZII,  
AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

*J. P. Dahl.*

*De ratione syntaxeos Latinae  
in scholarium usum  
adornandae.*

1824.

Statens pædagogiske Studiesamling  
København V.

---

Ad pueriles animos cum fructu temporisque compendio elementis literarum imbuendos plurimum referre, quales sint, ad quorum normam institutio dirigatur, libri, cum inter plerosque artis peritos satis conveniat, non est, quod prolixiore disquisitione exponam. Neque tamen in omni institutionis genere, nec in omnibus disciplinis tradendis aequè necessaria videtur bonorum de artibus librorum copia. In privata enim institutione, ubi singula ingenia praeceptorum excolenda traduntur, maxime si a primis elementis ipsi sit incipiendum, tantum abest, ut libros, vel optimos, adhibuisse conducatur, ut multo magis in universum obesse censi debeat. Si is pueros docendi modus optimus sit, ut est, quo notitiae non quasi aliunde teneris animis ingeruntur, verum ex ipsis animis ultro prolucuntur atque in lucem proferuntur, nulla profecto docendi methodus in universum melior existimanda videtur, quam qua viva tantum docentis voce pueri discant. Interrogando, respondendo, explicando denique notionum animo innata semina foecundantur, firmiterque et citius in altum crescunt, plantarum ad instar, quas cum nulla translationis mora retardaverit, suo solo enatas esse, laeta ramorum progenies indicat. Neque sola, quare ita melius discatur, ea ratio est, quod sic optime, id quod tamen minime spernendum est, continuo excitetur, exercitaque teneatur attentio. Sed ipsam notionum γένεσιν atque constructionem cum, si non perspexerint, at irrationali quodam usu <sup>1)</sup> suspicati fuerint animi, in ipsam harum naturam

---

1) Verba sunt Quintiliani, de inst. orat. X. 7, 11, sensu paululum inflexo.

rectius penetrant, quo tandem modo ad scientiam unice pervenitur. Adde, quod in mentem penitus descendunt, quæ per aures ipsi obferuntur, quam quæ, signorum modo signis expressa, nec nisi ectypon quoddam exhibentia, lentis oculis subjiciuntur. Adde alacritatem illam pueri, quæ, ex sensu quodam suæ scientiæ orta, subactum quasi animum ad doctrinæ semina recipienda molliorem facit. Unde ne, quæ lætam jam segetem pollicentur, mixtâ deinceps et confusa, suffocata evanescant, caveri facillime poterit, si, quæ ad claritatem jam perducta fuerint, in summa capita redigantur, verbisque luculentis expressa, in libellos, tabulas, schemata quædam referantur, ordine digesta, eum fere in modum, quo in opusculo quodam egregio <sup>2)</sup> Campe, vir clarissimus, usus est. Sic memoriæ certe non minus, quam iudicio, præstantissimo memoriæ fulcimini, consultum erit. Ubi vero processerit discentium ætas, licet in pluribus disciplinis institutionum libris, si minus ipsi videantur apti, facile carere possit præceptor, exaratis necessariis, qui usui inserviant, commentariis, magis jam subit circumspicere libros ad instituendum accommodatos. Publicarum vero scholarum, præsertim quibus magna discentium frequentia, ut ornamento, ita oneri est, longe alia est ratio. Si enim illam methodum, quam supra laudavimus, nihil mutatam, hic sequeretur doctor, næ is parum suis consuleret. Ex multis, qui in scholas itant, pauciores vulgo alacri ingenio præditi reperiuntur; quos cum multitudo sequi nequeat, retardat. Ne enim ex una tot fere existant classes, quot discipuli, fieri non potest, quin et celerius, quam segniores patientur, et segnius, quam alacrioribus utile sit, doctor progrediatur. Quod in illa institutione facere licebat, hic quo minus fiat, multa sunt, quæ impediunt. Sepositis omnibus ad instituendum comparatis libris, quo tamen non ex solo præceptoris ore, sola sua ipsorum memoria, penderent discipuli,

---

2) Seelenlehre für Kinder.

ex singulis, quæ traduntur, scientiis multa forent præceptori aut dic-  
tanda; aut, ipsius manu exarata, discipulis singulis, ut exscriberent,  
tradenda. Utrovis modo fore, ut multum temporis incassum perdere-  
tur, nemini dubium esse potest, qui meminerit, quam parum accurate  
ea ætate pueri, cum in ductibus literarum imitandis adhuc desudant et  
trepidant, et verba excipiant, et excepta literis consignent. Quæ si  
quoque, ut haberent, quo tuto possent confugere, a doctore emenda-  
rentur, ista tamen, quæ in elementorum formulis maximi est momenti,  
accuratio et concinnitas, qua vocabula nitide descripta facilius et ocu-  
los et mentem ingrediantur, qua singula singulis recte subjecta imagi-  
nandi vi arctius comprehendantur, pro imbecillitate exscribentium plane  
periret<sup>5)</sup>.

Quæ cum ita sint, jam inde satis patet, quanti intersit habere li-  
bros typis expressos, qui ad puerilia ingenia erudienda cum fructu ad-  
hiberi possint. Neque vero eam rationem adjiciendam putaverim, qua  
tusi sunt, qui multum in eo posuerunt, ut omnes imperii cujusdam  
scholæ haberent, unde uno eodemque modo informari possent discen-  
tes. Quibus satis consultum videtur, si recto et solido, quique sibi  
constet, modo fuerint instituti; rei vero literariæ, quamdiu non habe-  
antur, id quod vix sperare licet, de artibus libri, omnibus numeris ab-  
soluti, plurimum expedire facile duxeris, si ejusdem disciplinæ in di-  
versis scholis diversæ adhibeantur methodi. Cum enim, quæ humani

---

5) Quæ monet W. T. Krug (Logik, 1806, p. 699): "Es scheint sogar, als wenn  
selbst das deutliche Aufschreiben auch das deutliche Denken befördere. Wenig-  
stens klärt sich durch eine reine Kopie noch manches auf, was man anfangs  
nicht so recht durchschauen konnte. Und da durch den Druck die reinste und  
regelmässigste Kopie entsteht, so" etc.: — ea latius, quam quo sensu ibi di-  
cantur, patere, neminem præterit, nisi qui, indolis humanæ parum memor,  
spernat egregia ad docendum adminicula, quibus ad sensus revocentur tradenda.  
Quo etiam pertinet, quod habet S. N. J. Bloch, hac in re, si quisquam, ido-  
neus autor, in præfatione libri: Det græske Sprogs Grammatik, 1803, p. XI.

ingenii est inertia, in illis lubentissime acquiescant adulti, quæ pueri imbiberunt, in illa diversitate latere censendum est præsidium, quo minus ingeniis accadat, quod stagnantibus aquis, quarum otiosa quies, ad putredinem prona, nullo motu interrumpitur. <sup>4)</sup>

Quænam jam in universum virtutes in talibus libris, scholarum in usum accommodatis, requirantur, cum a multis disputatum sit, nec eo spectet hujus prolusionis consilium, ad unam tantum disciplinam restrictum, disserere hic plane supersedebo. Cum vero, quæ pluribus vel omnibus literarum disciplinis communes habendæ sunt, in singulis peculiari quadam ratione, pro diversa harum indole, spectandæ veniant, ubi de lingvis addiscendis, cujus materiæ particulam hic tractandam mihi sumsi, sermo instituitur, non possum, quin, quod mihi propositum est, paulo repetam altius.

De institutione grammatica formulisque hujus disciplinæ in scholarum usum conficiendis, in universum ita nuper apud nos disseruit S. N. J. Bloch <sup>5)</sup>, ut lectoribus incusserit desiderium, ipsum, data opera in singula descendente, audiendi. Quod si sibi proposuisset autor clarissimus et de patriæ scholis meritissimus, ita prærepta certe fuisset occasio eandem viam ingrediendi, ut nihil facile haberet, quo excusari posset, eadem audentis temeritas. Jam vero, si ex iis, quæ ab illo ulteriori disquisitioni relicta sunt, peculiarem *de ratione syntaxeos latinæ in scholarum usum adornandæ* locum arripiam, veniam mihi eo paratiorem fore spero, quo pauciores de hac ipsa ratione emendanda aut vere disputarunt, aut a me certe in rem meam converti potuerunt.

Quod videlicet in omnibus rebus humanis deprehendimus, nihil ita esse comparatum, ut nunquam fieri posset melius, atque adhucdum a spe perficiendi in multis nos procul abesse, id, si de

4) Cfr. N. Treschow: Om offentlig Underviisning i Videnskaber, 1785. p. 24 sqq.

5) Forsøg til en Bestemmelse af nogle Grundsætninger for den grammaticalske Underviisning i de lærde Skoler og de dertil fornødne Lærebøgers Affatning. 1822. 4.

aliis quoque literarum disciplinis tradendis valet, præcipue tamen de hac, latina inquam grammatica, valere videmus. Nonnihil rectius, quam priscorum, etiam hic nostra vidit ætas, plura sane visura, si primum ad communem, quem docti viri ostenderunt, cultiorum Europæ lingvarum fontem, Indicam puta lingvam, strata fuerit, quæ jam aperta est, via. Postquam per tot seculorum decursum, perinde ac si in priscorum grammaticorum verba juratum fuisset, intacta fere fuit latinæ grammatices forma et adornatio, tandem exstiterunt, qui de hac emendanda cogitaverint, ex quibus, præter clarum nomen R. K. Rask<sup>6)</sup>, hic tantummodo afferam K. L. Struve<sup>7)</sup>. Quæ vero hi præcipue attigerunt grammatices capita, ad Etymologiam, quam vocant, unice pertinent. Syntaxeos vero, ut etiamnum in libris traditur, ratio, quantum mihi constitit, prope intacta fuit et seposita. Quin multa, quæ Sanctiana perspicacitas, Scioppiana acerbitas olim agitaverant, oblitterata jam, ac, ubi quoque recte illos monuisse in oculos incurrit, spreta invenies, tanquam si indicta fuissent. Et tamen, — quanta est adhuc dum regularum, exceptionum, observationum in vulgatis grammaticis confusa farrago! Quod in aliis ad humanitatem utilibus literis palam et clara voce requiritur, — quas nempe ab indigesta quadam congerie incepisse fas est, notitias, certum constituentes orbem, in systema redigendas esse, redactarumque in facili ad discendum conspectu ponendam esse descriptionem, id in syntactica grammatices parte nondum ita factum videtur, ut idoneis arbitris satisfecerit. Quam rem inde meo jure colligere me posse non dubito, quod, qui in literariis Germaniæ ephemeridibus de novorum librorum pretio statuunt, quorum non pauci haud vulgarem doctrinam atque ingenium præ se ferunt, ubicunque grammatica quædam sive græcæ, sive latinæ lingvæ ad dijudican-

6) Undersøgelse om det gamle Nordiske eller Islandske Sprogs Oprindelse. 1818. p. 182. sqq.

7) Ueber die lateinische Declination und Conjugation. 1823.



dum proposita est; desiderare sibi videntur rectam rerum expositionem, justam locorum descriptionem et ordinem, — verbo, methodicam grammaticam<sup>8)</sup>. Nuperrime apud nos P. Hjorth, cum germanici idiomatis grammaticam<sup>9)</sup> ederet, in præfatione p. VII. hæc dixit: "Dette maa være nok om Bogens Afdeling, thi jeg tør ikke her udvikle den Mening, at der visfeligen gives en langt fuldkomnere Inddelingsgrund for al Grammatik end den nærværende, nemlig efter den logiske Sætnings og Doms Dele". Quod sanè neque questi fuisent docti illi viri, qui tamen nusquam, quantum equidem vidi<sup>10)</sup>, exposuerunt, qualem tandem ipsi velint grammaticam illam methodicam, neque præ se tulisset hic Noster, qui, quo magis ad veræ disciplinæ formam accederet scholastica institutio<sup>11)</sup>; superiorum de hac arte librorum defectui mederi sibi sumserat<sup>12)</sup>, si pro sua rei literariæ cognitione habuisent, quo lectores delegarent. Neque sunt, quas nunc fere solas in Germaniæ scholis regnare audimus, grammaticæ latinæ, editæ a Bröder, Grotefend, Zumpt, quamvis egregiæ<sup>13)</sup>, neque Badeni nostri, nuper typis repetita, ita comparatæ; ut respondeant ideæ grammatices, qualis recte animo concipi posse videtur, methodicæ. Qua de re infra videbimus. De recentioribus, quæ apud Gallos Anglosque in honore sunt, grammati-

8) Ex pluribus locis cfr. Jen. Allg. Lit. Zeit. 1819, No. 50. 250. 251. 1820, No. 188. 1821, No. 51. 1823, Ergänz. Bl. No. 90. 1824, No. 75. Quibus, si res posceret, addi possent ex ipsorum grammaticorum scriptis, ex præfationibus, etc.; plurima documenta.

9) Den tydske Grammatik for Dansktalende, 1824.

10) Qui enim ab ipsis criticis interdum suscipiuntur conatus, v. c. Jen. Allg. Lit. Zeit. 1824, No. 75, particulas modo doctrinæ excutunt.

11) Hjorth, l. c. p. III.

12) Ibid.

13) Zumptii grammaticam omnium optimam judicat censor quidam literarius in Jen. Allg. Lit. Zeit. 1823. Ergänz. Bl. No. 90.

cis, quas ediderunt Gaultier<sup>14)</sup> et Bell<sup>15)</sup>, cum nondum licuerit inspicere, judicare nequeo. Illius rationem non facile intelliges ex relatione, quam dedere P. H. Münster et J. Abrahamson<sup>16)</sup>; hanc, sive eam, quæ ad eandem methodum confecta dicitur<sup>17)</sup>, in syntaxi non multum a vulgari methodo recedere, colliges ex conspectu, quem exhibuere Münster et Abrahamson l. c. p. 551. Superiorum vero grammaticorum opera: Nouvelle Methode de Mesieurs de Port Royal pour apprendre facilement la langue Latine, et: Th. Ruddimanni Grammaticæ latinæ institutiones, licet in nonnullis palmam ceteris grammaticis præripuisse videantur, methodicæ grammaticæ desiderium haud sustulisse, facile largieris.

Desiderari itaque arbitror grammaticam latinæ lingvæ, cujus syntaxis jure suo methodica audiat. Qua in re si graviter fallor, ingenue tamen ostendi, cum quibus erraverim. Ideo vero a periclitando abstinere nil foret aliud, nisi talem defectum animo æquo, hoc est, a studiis averso, censere ferendum. Ferendum vero ecquis censuerit, qui noverit, vel nostris temporibus ex hoc ipso argumentum peti contra lingvas, quibus tertiam vitæ humanæ partem impendi alicubi dixit Leibniti<sup>18)</sup>, antiquas præcipue, in doctis, quæ vocantur, scholis tanto studio colendas? Desflagravit utique odium istud, quo ante aliquot decennia in hocce studium ferebantur tot pædagogi; licet vero illorum de damno, realibus, quas ferebant, scientiis a lingvarum studio illato, opinio summorum virorum<sup>18)</sup> sententiis explosa videatur, manet tamen magna ex parte huic objectioni sua vis, si methodum spectas, qua vul-

14) Grammaire pour entendre, et: Grammaire pour composer.

15) Elements of Tuition. 1815. (Vol. 3tium).

16) Om den indbyrdes Underviisnings Væsen og Værd. I. 1821. p. 552-554.

17) Rudiments of the latin tongue etc. London, 1817.

18) Afferam modo N. Treschow: Almindelig Logik, 1813. p. 40. sqq., et F. W. J. Schelling: Vorlesungen über die Methode des academischen Studium. 1813. p. 74. sqq.

go lingvæ tradantur. Quin nonnihil momenti ei accedit, si ostenditur, quot juvenum, cum septem totos annos, et ultra, in scholis maximam partem lingvis addiscendis impenderint, a logico animi cultu, quem tamen lingvarum studio unice promoveri crepant, adeo parum instructi, ad academiam accedant, ut, quasi ex tenebris in claram lucem subito prodiissent, ad splendorem literarum, quæ ibi traduntur, præstrictis errent oculis, donec, paulatim assefacti, præceptores acie pariter ac gresu quadantenus sequi possint. Ubi tamen observandum, istam reprehensionem illa præcipue tempora tangere debuisse, cum, vernacula lingua in scholis — *latinis* scilicet — neglecta, vel adeo ab usu fuste<sup>19)</sup> prohibita, sprete quoque ceteris scientiis, antiquis lingvis adeo unice incumberent discentes, ut ipsas scientias, peregrina, cujus in singulis verbis verborumque constructionibus adhuc hæsitarent, lingua tradita ediscere tenerentur, ubi haud raro pro rebus verba modo amplexi sunt<sup>20)</sup>. Quod quamquam apud nos jam dudum immutatum est, manet tamen eadem in lingvarum utilitatem criminatio, quæ in mathesin non raro, nec immerito, jactatur, unde nempe fiat, quod ex hac disciplina, qua non imbutis ad præstantissimi ex antiquitate philosophi scholas, tanquam plane ἀπαιδέντοις, adire non liceret, ad intelligentiam excolen-

19) Docebit P. Bendtsen ex Canone scholastico (vide Historiske Efterretninger om den Kongelige lærde Skole ved Frederiksborg, 1822. p. 46): "Notarii in hoc constituantur ipsi illi, qui ob vernaculæ usum semel delati sunt. Hi bis de die horis decima et quarta vapulent, usquedum alium, qui Danice locutus sit, notaverint". Cfr. Iepidam censoris ad hunc locum notulam in Dansk Lit. Tid. 1825.; No. 15.

20) Treschow (Om off. Underv. p. 52): "At danne nogen til Viisdom og Dyd, eller en finere Smag og Skiönsomhed, i det han behöver al Tænekraftens Anstrængelse til at forstaae det Sprog, hvori disse Regler ere skrevne; eller opvække Fölelser for det ædle og skiöne, imedens Ungdommens Opmærksomhed er beskæftiget med at oplöse en vanskelig Ordfoielse, opsöge Etymologier, og bemærke Anspillinger paa Oldtidens Skikke, har altid forekommet mig at være et forkeert Arbeide".

dam adeo parum afferatur emolumenti, ut, cum, qui alacriore ad omnia alia studia facti sint ingenio, ii ne elementa quidem matheseos capere queant, ab altera parte, qui in mathematicis haud vulgarem scientiam prodant, ad omnia cetera studia ita stupidi sint, ut intellectum illa definitionum argumentationumque ἀνοίσεια minime tactum, nedum efformatum, ostendant. Eodem modo in lingvis fieri; qui nempe, grammatico studio quasi absoluto, in auctorum lectione, atque adeo in speciminibus puræ latinitatis compingendis, non parum profecerint, illis ad verum animi cultum, ad ipsarum notionum claritatem, tantam exercitationum, tantam doctrinæ molem nil omnino valuisse. Quæ quidem disciplinarum genera eo potius hic comprehendimus, quod iis præcipue juventutem excultam voluerint recentiores<sup>21)</sup>. Nos vero, matheseos sive studium defendendum, sive methodum<sup>22)</sup> reformandam aliis, qui harum rerum periti sint, relinquentes, lingvis in scholis discendis tantummodo patroni existere volumus, et ita quidem, ut ipsis lingvis plane absolutis, pravam modo has tradendi methodum, quam inter doctrinæ impedimenta merito refert Baco<sup>23)</sup>, damnatam exulare velimus. Quamdiu enim ex antiquis lingvis discendis nil fere adjuvamenti trahatur ad animi notiones effingendas et cum ordine explicandas; quamdiu grammatices studio, quam logicam applicatam omnes clamant, ad ipsam logicen via non sternatur; tamdiu inconcussam manere illam reprehensionem confitendum est, quæ occinat, alia eademque breviora via, quam per tot lingvarum ambages, non solum æque bene, verum

---

21) N. Schow (Danske Vid. Selsk. Skr. 4, 1. 1806. p. 106): "Man har i vore Tider rigtigheden sagt, at ældre Sprog og Mathematik vare de Midler, ved hvilke "Undgommen især burde dannes".

22) J. F. Herbart, laudato studio mathematico: "Leider ist dies zu sehr in ein Spiel "mit Hülfslinien und Formeln ausgeartet! Man führe es so viel möglich auf das "Durchdenken der Begriffe selbst zurück." (Allgemeine Pädagogik von J. F. Herbart, 1806, p. 212).

23) De dignitate et augmentis scientiarum. Lugd. Batav. 1645. p. 8.

etiam multo melius ad cultum animi, quo nil majus hisce studiis propositum est, accedi.

Rem nostram aggressuris, cum lingvarum studii præstantiam taciti omittere nequeamus, haud alienum videtur exordium disputationis capere ex observatione, quanti loquelæ, vel adeo vocis in universum, habendus sit usus. Quibus animantium natura negavit, voce, tanquam unico præsidio, posse significare, se quoque esse et sentire, eas vulgo videmus in naturæ suæ jura hominum attentionem adeo parum convertere, ut ceterarum nullæ tanto cum torpore tantoque contemptu ab hominibus crucientur. Quin hoc adeo esse usitatum, ut sint, qui, cum ceteræ, se esse, clamore testentur et strepitu, de illarum sensu ne cogitasse quidem videantur. Ubi iterum prævisis valent audita. Juvat totarum nationum comparare sortem, quæ, cum ad nutus heriles plane obmutuerint, tum demum — testis est historia — omni tyrannorum ὑβρεὶ obnoxii, secure vexantur. Relictis vero, quæ externa modo videbuntur, ad veri nominis vocem transeuntibus, internasque animorum condiciones spectaturis, si vel minime de summo sermonis momento aliunde constaret, hoc inde colligere licere videtur, quod infanti superiorum vitæ suæ momentorum nulla maneat conscientia, nulla memoria; omnia nempe illa cernimus ex animo excidisse plane atque effluxisse, revocari nescia; ex quo *Ego* suum verbo enuntiare didicerit, tum demum eum se ita intellexisse, ut internorum deinceps surgat motuum sensus mutationumque recordatio; ita demum intuitum eum esse, quod, semel visum, nunquam in posterum effluat. Jam accedunt, quæ luculentius quoque sermonis præstantiam efficiant et evincant. Quemadmodum enim nationi in universum nil lingua patria carius, nil antiquius <sup>24)</sup>, ita quoque singulari observatione et amore, tanquam maxime

---

24) L. Engelstoft: Tanker om Nationalopdragelsen, 1808, p. 44. Cfr. C. Molbech: Om Dialecter, 1811; — Indledning til Forelesninger over det danske Sprogs Historie, 1822; — Om Nationalsprogets Hellighed (Athene 1815, p. 277).

suum, strictiori sensu lingvam amplectitur homo. Jam infantes, cum vixdum recte pronuntiare possunt voces, callide aliorum eloquendi modum a suo discernunt, verum scilicet hunc solum putantes. Rusticorum quoque illi, quibus præter victum nihil fere curæ cordique diceret, de rerum vocabulis, de pronuntiandi modo, sæpissime inter se rixantur, cumque loquentem audiunt alium, vel ex vicina regni parte advenam, ex levissima loquelæ inflexione aliisque signis minutissimis, eum esse alienigenam, confestim statuunt; constructionem quoque verborum, a vera, hoc est, sua, tantillum recedentem, probe animadvertunt, studioseque notant et carpunt. Nec immerito, quicquid istud sermonis est, tanto amore amplectuntur. Ita enim non nisi sui partem diligunt. Neque enim profecto mens humana, nisi e se quasi egressa, recte se ipsam cognoverit; quod demum fit, ubi, ipsa subjectum, objecti se loco habere didicerit. Tum demum contemplari se ipsa potest, naturamque suam, quantum datum est, perspicere. Hoc vero minime illi licebit, nisi efficta lingua, cujus vocabula ectypa quædam notionum haberi debent; in quam, excoli coeptam, tanquam in speculum<sup>25)</sup>, menti licet inspicere, in quo formam suam sibi habebit repræsentatam. Sunt jam toti rerum, quæ nobis circumfusa est, multitudini nomina ponenda; sunt, quæ in nobis exstiterunt, notionum signis suis figendæ: surgunt hinc, pro naturæ circumfusæ copia, pro notionum ubertate; opes sive pauperis, sive divitis lingvæ. Exprimendæ sunt rerum notionumque inter se relationes: surgunt hinc, pro universali mentis natura, variarum lingvæ formarum genera. Quodsi in singulis hominibus ad universale illud, quod in omnibus sese exserit, proprium quidquam singulisque peculiare ex naturæ instituto non accederet<sup>26)</sup>; quodsi totis na-

25) Sensu nonnihil, ut videtur, diverso Leibnitiis: "Die Sprachen sind die Spiegel des Verstandes." (G. G. Leibniti opera, studio L. Dutens. 1768, Tom. 6. P. 2, p. 6.)

26) F. C. Sibbern, Psychologie, I. 1819, § 14. sqq.

tionibus ex domiciliorum conditione et mutationibus, ex fortunarum vicissitudinibus, nil ad communem, qualis primitus fuit, conditionem accessisset: in omnium gentium lingvis easdem ejusdem rationis notiones non solum cognato, verum plane etiam simili modo paribusque formis expressas cernere foret. Illud cum non sit, neque plane conspirare potuerunt in talibus lingvæ; quarum itaque aliæ alio discedunt, non solum vocabulorum copia, verum etiam, quod hoc loco magis observandum, formarum diversitate, multitudine, usu. Hinc diversa linguarum dignitas; quarum quæ magis sit ab aliarum admistione pura; quæ accuratissimo, quique sibi maxime constet, modo ad notionum relationes adumbrandas formis suis utatur, non deficiente, pro cultu mentis, vocum copia: ea præ ceteris, quæ regnet, digna est censenda. Quodsi jam arctissimum rationis sermonisque inter se nexum consideramus, quo fit, ut, quemadmodum sermo, nisi rationis fundamento inniteretur, oriri non potuisset, sic, nisi sermone adjuta, nunquam exculpta fuisset ratio, ecquis dubitabit, linguarum studio plurimum ad naturam humanam cognoscendam, atque adeo ad mentem ipsam excolendam, afferri emolumenti? Neque vero hoc loco de illa utilitate agimus, quæ ex optimorum, quotquot diversis temporibus apud varias gentes vigerunt, auctorum lectione capi possit ad philosophiam, historiam, et quæ ceteræ inde juvantur scientiæ, discendam. Materiali hoc, quem vocant, usu ad laudandum aliis, modo ne nimium ab hac parte contra Resewitz, Campe, alios, laudent, relicto, nos tantummodo manebimus in formali, ut vulgo audit, considerando; quem eum intelligimus, quo fit, ut clare cogitare, recte judicare, ordine colligere, omnia diserte et luculenter eloqui advescant discentes. Qua disquisitione, pro hujus scriptiunculæ fine, arctius circumscripta, eam modo utilitatem, quæ ex grammatico unius, et quidem latinæ, lingvæ studio, dummodo facilis accedat methodus, hauriri possit, exponere studebimus, reprehensio-

nem viæ pro fine habitæ 27) ita fugientes, ut totum omnino lingvarum studium non pro ipso fine ponamus.

Ex triplici, quod in lingua, antiquiore imprimis, discenda propositum esse potest, consilio, ut nempe hac lingua aut loquaris, aut scribas, aut libros ea scriptos legere possis 28), nullum posse pro summo fine esse, satis per se patet. Ad ipsum mentis cultum illa itaque esse referenda, nostro jure et ut concessum sumere nulli dubitamus. Jam cum duæ omnino 29) lingvæ discendæ ferantur methodi, quarum altera grammaticam institutionem poscat, altera usu solo disci lingvam jubeat, hæc novissimis temporibus partim in universum minus placuit, partim ad nostrarum scholarum formam, sapienter institutam, minus est accommodata. Quicquid id rei est, — in universum statuunt peritiores! — contendimus, ad lingvas non tantummodo ediscendas, verum in usum, mentis puta cultum, recte convertendas, unice facere, si ex omnibus una saltem penitus discatur, hoc est, si tota ejus natura ex justo regularum systemate, — sive ab ipso discente paulatim confecto sive a grammatico in concinna descriptione posito, — ita perspiciatur, ut singulos ejus colores, quem genium lingvæ vulgo appellant, cognitos habeas, in quibus singularem, qua se ratio humana sistat, formam agnoscas; quemadmodum recte monent, qui præcipiant, ut, qui veros in literis audeat sperare progressus, is ex omnibus unum quen-

---

27) S. N. J. Bloch: Forsög til Bestemmelse etc. p. 5. "Allerföirst betænke da enhver, som har med grammatikalsk Underviisning at gjøre, at samme ikke selv er Hovedöimeed, men meget mere ikkun *Middel til et andet Öimeeds Opnaaelse.* etc.

28) A. F. Pauli, Versuch einer vollständigen Methodologie für den gesammten Kursus der öffentlichen Unterweisung in der lateinischen Sprache. I. 1785. p. 1. Cfr. D. G. Morhofi Polyhist. literar. 1695, p. 424.

29) Ex multis v. Morhofi Polyhist. literar. lib. 2, c. 9. J. B. Basedow: Das Methodenbuch, 1773 p. 156 sqq. J. H. L. Meierotto lateinische Grammatik in Beispielen. vol. 2. 1785, p. V. Stephani in præfat. libri: J. G. Cunnadi: Kurze Anleitung zum gründlichen Studium der Sprache, 1812.



dam scientiarum orbem præ ceteris familiarem sibi et domesticum habeat. Ita nempe, quemadmodum literarum quoddam centrum sit, ad quod ceteræ sint referendæ, in lingvis fore, ad quod comparari possint, quæ ex ceteris cognita habere debeas. Ita quoque ceterarum lingvarum magis circumcisam esse posse institutionem. Quod si constat, sequitur quæstio, quænam tandem ex omnibus eligi debeat lingua, cujus tali modo exercenda sit institutio. Magis perfectam ei, quæ minus sit, antepone, in promptu est; sunt quoque, quæ svadeant, in juniorum institutione ex peregrinæ lingvæ ita comparato studio plura sperare, quam ex vernaculæ. Quorum præcipua quædam breviter, at perquam ad rem accommodate exposuit Meierotto.<sup>50)</sup> Quare, si vel omnibus aliis lingvis dignitate antecederet vernacula, quicquid hunc in finem in illarum una collocaretur operæ, id minime tamen foret poenitendum. Quid, si vernaculæ deest formarum copia? Quid, si in diac ex ordine verborum, quem tamen non parum invertere licet, magis, quam ex eorum flexione<sup>51)</sup>, quæ constans est, perspiciatur notionum enuntiationumque relatio et dependentia? Nonne tum ex recte instituto alienæ lingvæ studio, in qua, una cum formarum copia, constans harum usus deprehenderetur, insigne discenti accederet administriculum, quo, quæ mente, ut fit, non satis clare concepisset, sensibus ipsis quasi in tabula ita distincte repræsentata conspiceret, ut ipsa rei notio ad veram claritatem posset promoveri? Neque vero hic veremur, ne quis objiciat, nos vernaculæ studio hic detrahere, formis lingvarum nimium tribuentes. Non est profecto ad notiones clare adumbrandas

---

50) J. H. L. Meierotto, lateinische Grammatik in Beispielen, Vol. 2. 1785, p. XXVIII, not.

51) Encyclopédie méthodique. Grammaire et littérature. Tom. 3. 1786. p. 484.  
 "Les rapports des mots ne peuvent être rendus sensibles que par deux moyens, savoir par la place, qu'ils occupent dans la phrase, et par quelque forme accidentelle."

necessaria ista formarum copia. Nisi forte hoc nomine lingvæ recentiores, itala, germanica, anglica, danica, ad veteres illas Latinorum, Moesogothorum, Anglosaxonum, Islandorum denique omnino sordeant; quarum has, præeunte Rask<sup>52)</sup>, formarum numero illis longe præstare videbis. At nos ad puerorum institutionem plurimum facere istarum formarum intuitum, quibus ad sensuum captum, quæ per se sensus minime feriunt, quasi depictæ cernerentur notionum relationes, tantummodo contendebamus. Neque nos vernaculæ quidquam derogare velle, neque male sedulos, foris quærenda jubere, quæ forsitan, et quidem meliora, minori quoque venalia, domi habeas; agnoscet, quicumque lectorum sese ad reliquam viæ partem socium nobis adjungere propitius haud fuerit gravatus. Ubi inprimis lætandi oblatam habebimus materiem, si non omnino displicuerint, quæ in eum sensum sumus disputaturi, non ex formis lingvæ discendas esse notiones, verum notionibus explicandis suscitandum esse quendam necessitatis formarum sensum earundemque desiderium, atque ab iis cognitis ad notionum relationes illustrandas luminis quasi radios modo rejici atque reflecti. Esse enim rationem et tempore et usu lingvæ priorem, in propatulo est. Quo cum toti tendamus, veram profecto nullam, nisi quæ per almæ patriæ fines duxerit, viam agnoscere possumus.

Ultrò sic delati sumus ad illas vetustatis lingvas, quas, tot summorum virorum, per longam seculorum seriem, studiis, curis, scriptis perpolitatas et consummatas, in æternum merito venerabitur grata posteritas, — græcam, inquam, et latinam. Quarum, qui factum sit, ut hæc doctorum evaserit lingvæ, melius monstrant, qui lingvarum historias excutiunt, quam quidem eam præ græca tanto honore dignam fuisse, probant ii, qui in latinitatis laudibus toti, vel adeo nimii fuerunt.

---

52) R. K. Rask: Den danske Grammatiks Endelser og Former af det islandske Sprog forklarede (Skand. Lit. Selsk. Skr. Vol. XVII. p. 79).

Neque vero hoc loco in latissimum campum excurrere audemus, quem offert harum lingvarum inter se comparatio. Græcam cum natura sua longe antecellere concedimus, — neque enim pulcherrimæ matris *pulchriorem* filiam latinam appellare licet, — deplorare sane debemus, Romanos, nihil non in agendo ausos, in dicendo ita fuisse timidos, ut si Lucretium et Ciceronem forte exceperis, optimos quosque ceterorum auctorum de summa in notionibus exprimendis accuratione omnem fere cogitationem deprehendas abjecisse, satis habentes, si in solitum atque receptum vocularum orbem cogitata includere licuisset. Quanquam Cicero non paucis exemplis docuerat, usu verba et mollienda esse, et posse quoque molliri<sup>33)</sup>. Lingvam ipsam pro sua natura plus potuisse, satis ostendunt multa ex medio ævo Scholasticorum ausa, quorum sane plurima latinus ex antiquitate philosophus non respuisset, si postulasset notionum ratio. Quæ tamen, cum sanctus quidam horror, quasi solus omnia manciparet defunctorum usus, omnia verba, non prisca memorata — Catonibus, pene addidi, atque Cethegis<sup>34)</sup>, Ciceronibus certe, — refugeret, atque effoetam potius et emortuam, quam foecundam vivamque latinam lingvam voluisse videatur, in barbarorum quorundam et umbraticorum quasi armamentaria dudum rejecta, situ obducta jacent, nisi forte interdum etiam nostrorum temporum doctus quisquam, aut ad terrendum hostem, aut ad pedem tuto referendum, insigne inter illa præsidium conspicatus, obsoletum vibrans telum, aut risum sibi, aut mirationem fecerit. De hac tamen prisicarum lingvarum virtute nonnihil securi, — rectius quippe putantes, ad scribendum in talibus rebus potissimum adhibendam esse vernaculam, idque omni vi al-laborandum, ut, quo frustra votis latinam, vel adeo græcam, lingvam evectam cupiamus, eo vere adducatur vernacula, nulli facile secunda, — aliis relinquemus, inter latinæ lingvæ virtutes, quibus græcæ si non

33) Cic. de nat. deor. lib. 1, c. 54.

34) Horat. II. Epp. 2, v. 117.

superior, at certe non inferior sit, prædicare brevitatem, gravitatem insignemque vim et elegantiam. Id modo animadvertendum ducimus, si vel nulla re alia, nisi Casuum numero eaque necessitate, qua in objectivis enunciationibus dependentiæ adumbretur notio, latina præstaret, has solas, quibus jam ceteræ — quales vero et quantæ! — revera accedunt laudes, satis latinæ lingvæ illum locum vindicare, quo per tot secula, tanquam in fastigio collocata, licet ex denominatione nostrarum scholarum merito secesserit, in ipsis tamen haud minore jure potio-rem studiorum partem adhucdum constituit.

Quo vero ipsa et per se gravior, et ad animi cultum uberior est, eo magis ab ejus tradendæ methodo omnem abesse debere levitatem contendimus, eamque ideo ipsam ita tractandam, ut ad sanæ logices præcepta tota sit descripta. Quæ cum ita sint, absit utique ab ejus institutione, quicquid alacri pueri laudabilique cum impetu ad eam amplectendam tendenti ingenio obstet! Exfulet, quæ, gravioribus omis- sis, aut parum animadversis, putida in minutis exceptiunculis et observatiunculis jam inde ab initio inhæreat methodus! Linquat alium institutionis limen ista traditorum confusio, qua, divulsis et discerptis, quæ natura cohæreant, coactis in unum, quæ quo filo nexa sint, nulla capiat adulti, nedum pueri, cogitatio, ipsa nascentis ingenii vis confundatur, opprimatur, iraque — heu nimis justa! — mens repleta, sic primas grammatices literas discat odisse, ut literas omnino, ni meliora Dii, in posterum aversetur! Quibus verbis si vulgares lingvæ latinæ grammaticas, scholarum usui dicatas, petere insulamur, haud diffitebimur, licet antiquiorem tradendæ latinitatis methodum istæ criminatio- nes præcipue tangant, esse tamen etiam in recentioribus, atque adeo in recentissimis hujus lingvæ grammaticis, multa, quæ aut per se minus vere tradita videantur, aut ita saltem, ut per ambages modo et salebrosa errorum devia ad metam ducant. Quamquam vero, quæ li- nea hic sit recta, et an recta hic quoque brevissima, non adeo in promptu

est dicere, de nonnullis tamen ex iis, quæ difficultate haud videntur carere, adeo in proclivi est iudicium, ut absque nimia sui confidentia, nunquam satis castiganda, etiam qui ab ingenio et doctrina parum sint instructi, nonnihil de illis iudicare valeant, si modo quæsitis simplicia, obtortis facilia, — arti naturam præferre se audeant confiteri. Quorum agmini si quæritur, cur non tacitum potius me adungere studuerim, quam immodestiæ culpam fando contracturum, cum nullam responsionem satis ad me defendendum valere posse videam, nisi ex infra disputandis nonnulla non displicuerint, ipsi probationi pauca hanc in rem præfanda videntur.

Ex aliorum vituperio inhonestum sibi patrociniū quærere, ut merito odiosum est, ita nec facile invidia carebit, qui, quæ vulgata feruntur, non omni labe carentia deprehendere sibi visus sit, etiamsi, quominus ita sentiat, non omnino obstet rei veritas. Quod cum nec in literis aliter fieri queat, propter reprehensionis metum ab audendo abstinere animi foret parum ingenui, dummodo nec veritatem aperte excedat, nec apud arbitros parum idoneos causam agat, qui uspiam in literis emendandi locum suspicatus fuerit. Quodsi itaque culpam merito incurrere videtur, qui in libris, juventutis totarumque adeo scholarum usui dicatis, aliorum in eadem re methodos convicio petat, spem veniæ nobis paratæ haud levem inde concipimus, quod hac qualicumque commentatione ad eos accedimus, quorum sit de re sententiam ferre, apud quos minime sit verendum, ne sui sonti desint patroni, nedum sui innocenti deficient vindices. Quorum neque censuram tergiversabimur, quippe quos, hæc non animi causa, nec in clarorum virorum ludibrium nos scripsisse, verum haud illaudabili literarum studio, puerilisque ingenii amore ductos, confidimus esse iudicatuos. Relicto rei peritioribus negotio in omnia singula inquirendi, quæ in vulgari latinæ syntaxeos ratione viderentur emendanda, nos, qui ex aliorum defectu non voluptatem, sed excusationem,

non innovandi licentiam, sed emendandi necessitatem quærimus, pau-  
cula ex illis modo delibabimus, quæ, cum aut prave præcipiantur, ex-  
colendo intellectui obstant, aut, ubi facilius ad discendum desit me-  
thodus, puerorum ingenia misere vexent et confundant.

Cum itaque in legitimo quovis ex orbe scientiarum opere tradito-  
rum requiratur, si materiam spectes, *veritas et plenitudo*, si formam,  
*perspicuitas et ordo*, nostrum erit de singulis ostendere, esse in vul-  
gata latinæ lingvæ syntaxi, quæ emendari fas sit. Quodsi vero ea cum  
organico corpore docto operi intercedat similitudo, ut, quemadmodum  
in illo nulli organorum systemati, nisi ad cetera quoque manet tabes,  
ægotare liceat, ita in hoc ad commune quoddam incommodum valeat  
singulorum imbecillitas, æquos non offendet iudices, si in singulis ca-  
pitibus distingvendis non satis diligentes esse potuerimus.

Primum itaque *vera* non tradidisse, tot syntaxeos latinæ autores,  
lingvæ peritissimos, nemo paulo cordatior facile sibi persvadebit. Quare  
si quæ ejusmodi huc trahi possint, magis in exponendi formulis erratum  
concedimus. Exemplo erit regula, quæ duos objecti accusativos, per-  
sonæ et rei, verbis docendi, rogandi, etc., jungi docet<sup>35)</sup>. Quod quo-  
modo per regulas logicas et grammaticas fieri liceat, nemo sane se in-  
telligere putabit, nisi qui omnem ex sermone analogiam tollere velit.  
Altero illo accusativo non significari objectum rei, clamat, quod etiam  
non minus latine (nonnunquam quoque rectius), pro hoc accusativo ad-  
hibetur ablativus, præpositione plerumque prævia. Nec absque insti-  
tutionis incommodo istis verbis regulam tradi, docebit, quæ a gram-  
maticis jure commendatur, activæ enunciationis in passivam conversio.  
Quo enim melius intellexit puer, in transitivis enunciationibus *rei* ob-

---

35) J. Baden: Grammatica Latina, 1821. §. 156, reg. 8. C. G. Bröder: Practische  
Gramm. der lat. Spr. 1818. §. 323, VI. 324. — C. G. Zumpt: lateinische Gram-  
matik, 1823, §. 71, 4. ubi disertis verbis, p. 297: "Die Verba..... haben einen  
"doppelten Objects-Accusativ bei sich, der Sache und der Person".

jectum, quod accusandi casu proferebatur, facta conversione, nominandi esse proferendum<sup>56)</sup>, eo minus intelliget, qui v. c. Zumpt, l. c. p. 297, docere posfit, *personam*, facta mutatione, esse nominativo proferendum, nulla addita observatione, quæ alacrioris ingenii, et alias longe alia docti, dubitationem vel adeo perturbationem tollere posset. Quæ Zumpt habet p. 298, ostendunt, eum ab hoc accusativo discernere græcum. Quo in loco licet rectiora Grotefend<sup>57)</sup>, minus tamen luculenter rem persecutus est, cum ex l. c. §. 212, not. 2, non eluceat, an græcum accusativum hinc discernat. Apud Broderum vero, l. c. p. 203, (cf. p. 201), non satis mirari possumus, verba illa: doceo, celo, cet., inter appositionis, quæ vocantur, verba relata esse, quorum inde prorsus diversam esse rationem, neminem fugere posfit. Non minus miramur, C. Petersohn<sup>58)</sup>, cum vaga satis oratione dixerit: "Diejenigen Verba haben *zwey Accusative* bei sich, die auf einen Gegenstand und zugleich auf eine Eigenschaft deselben (Apposition), oder auf eine Person und eine Sache sich zugleich beziehen", — eadem docendi, etc., verba, ordine tantummodo Broderi nonnihil mutato, appositionis verbis admiscuisse. C. F. Etzler<sup>59)</sup>: "Viele transitiven Verba können ihrer Natur nach einen doppelten Accusativ als Objects-Bestimmung bey sich haben, da denn der eine gemeinlich die *Person*, der andere die *Sache* andeutet". Quæ eorum natura qualis sit, nemo facile intellexerit. — Totam illam doctrinam apud grammaticos veram nondum induisse formam, eo magis mirari subit, cum superiorum nonnullarum monita veriora docere debuissent. Vide v. c. F. Sanctii Mincervam, ed. E. Scheidii, 1809, p. 298 sqq. 886. — G. Scioppii Gramm.

---

56) Cf. v. c. Zumpt, l. c. p. 295. 294.

57) G. F. Grotefend, Lat. Gramm. für Schulen. I. 1817. §. 212. cf. §. 209

58) Beiträge zur lat. Schul-Gramm. nach den Paragraphen der practischen Grammatik von Brüder. 1815. p. 86.

59) Grammatik der latein. Sprache. 1804. p. 39.

philosoph. 1712, p. 84. 110. — G. J. Vossii de constructione lib. 1635, p. 84. 139 sqq. Abregé de la nouvelle methode pour apprendre facilement la langue latine, 1714. p. 321. sq. — Th. Ruddimanni Gram. lat. institut. Vol. 2, 1731, p. 172. sq. — J. Hansen, Anvisning til det latinske Sprogs Lære. 1796. p. 140.

De copia rerum, quæ ad *plenitudinem* quandam docti operis sit necessaria, nisi ad finem operi autorique propositum respicitur, vere non potest judicari<sup>40</sup>). Quam multi clamant *brevitatem*, eam per se nullam esse virtutem, satis patet, cum in libro æstimando non unice quærat, quam cito possit perlustrari, sed, quam luculenter, quam accommodate, quam vere doceat. Quid enim juvat, si, quod brevitati accedat, id claritati detrahatur? Quo de toto genere S. N. J. Bloch<sup>41</sup> verissime judicat. Non deesse in libro, quod res et propositum requirat; non adesse, quod nec rei veritas postulet, nec patiatur instituti ratio: eam veram breviter perhibemus. Quare juncto plenitudinis illo brevitatique studio, in utriusque locum *sapientem* substituamus *delectum*<sup>42</sup>). Ad cujus legem si vulgatas grammaticas, scholarum usui dicatas, exigere placet, certe deprehendes laudabile quoddam nonnullorum recentiorum studium, quo et discedant ab antiquiorum illis, qui in exceptiunculis et observatiunculis congerendis toti erant; et ab illa, quæ nuper invaluisse videbatur, per minutissima modo quædam regularum compendia, dum cetera solus præstaret usus, docendi levitate. Nihilominus utique invenies, ab hac quoque parte etiamnum in defectu pariter et in excessu, ut ajunt, interdum peccari, dum nec scholarum generis, nec discentium ætatis, nec denique ipsius rei justa habita fuisse

---

40) N. Treschow: Almindelig Logik, 1813. p. 309.

41) Forsøg til Bestemmelse, etc. 1822. p. 11-14.

42) Suffragantem habemus censorem quendam literarium in Jen. Allg. Lit. Zeit. 1819, No. 231., qui pro laudata illa brevitate substituit "zweckmässige Auswahl."



videatur ratio. Ex ultimo præcipue loco pauca hic delibare nostrum erit.

Parum itaque Interjectionum naturam attendisse vulgo videntur grammatici; — quas vocularum scilicet tribu omnino motas recentiorum nonnemo voluit. Plurimi sane ita tractarunt, quasi, presso nominis sensu, ad vim Interjectionis patefaciendam sufficeret, si dixissent, eam *interjici*<sup>45)</sup> inter cetera orationis verba. Quemnam vero in enunciatione, et an ullum, locum occupet, nil docet Baden<sup>44)</sup>, nil Bröder<sup>45)</sup>, Grotfend<sup>46)</sup>, Zumpt<sup>47)</sup>. Id quod sane eo magis desiderari videtur, cum ad vim enunciationis constructionisque verborum recte perspicendam haud parum faciat animadvertisse, Interjectione per se posita plenam effici enunciationem. Quam assertionem, rei natura nixam, nec parum valere ad doctrinæ grammaticæ particulam de variis Casibus, Interjectioni junctis, illustrandam, facile videbit, quicumque in puero-rum institutione hanc doctrinam non omni difficultate vacare senserit.

Proximus Interjectioni Vocativus est, cujus vim etiam vulgo non satis perspicue explicatam deprehendes. Omitto A. F. Pauli, qui cum in opere: *Versuch einer vollständigen Methodologie*, etc. supra laudato, multa bene disputat, abrupto quodam sermone hæc habet<sup>48)</sup>: "Vocativus regiert das Verbum — (ist Subject.)" Omitto R. A. Sicard, qui<sup>49)</sup> verba illa: "Amis! obéissez!" s. "Amis! soyez obéissants! unam enunciationem efficere dicit. At apud Badenium nihil de hoc Casu invenies,

---

45) Grotfend, lat. Gramm. 1817. p. 164..... "welche man bald zu Anfange der Rede setzt, bald mitten in die Rede einschaltet".....

44) l. c. § 160.

45) l. c. § 99. 301. 332. 333.

46) l. c. § 171. 196. 214, 6. (ubi tamen bene, Interjectione per se nullum Casum regi). 216.

47) l. c. § 68. 71, 9.

48) II. 1790. p. 359.

49) *Elémens de Grammaire générale*. Tom. 2. 1801. p. 8.

unde pateat, utrum enunciationis partem constituat, nec ne. In grammatica Broderi de Vocativo nihil habet Syntaxis. Grotefend, cum<sup>50)</sup> dixit: "Vocativus, der *Ruffall*, zeigt eine Anrede oder einem Zuruf an, und steht, ohne alle Frage, ausser dem nothwendigen Zusammenhange eines Satzes, in Syntaxi (p. 281.) nihil affert de loco huic Casui, qui tamen ex sermone minime exsulet, in oratione assignando. Neque melius suorum usui consuluit Zumpt, qui<sup>51)</sup> nude docet: "Der Vocativus steht in keiner näheren Verbindung weder mit Nominibus noch mit Verbis, sondern wird unverbunden, wenn der angeredete Gegenstand besonders ausgedrückt wird, hinzugesetzt", ipsam rem in medio relinquens, non sine eorum incommodo, qui de vera Vocativi natura forte quaerent. De qua neque constare posse videtur, nisi intellexerit discens, Vocativum non solum partem enunciationis non esse<sup>52)</sup>, verum ipsum per se, non minus, ac Interjectionem, plenae enunciationis vim habere.

Quid, quod totius illius loci de enunciationis natura in universum in grammaticis latinis vulgo desideratur exacta ratio? Quid, quod vulgo, exposita quidem ratione, qua ad Subjectum sit Prædicatum propriè dictum, de ceteris Prædicati partibus adeo tacent, ut non satis perspiciat discipulus, quo revera tandem referenda sint accidentia illa causæ, temporis, loci, cet., quorum in enunciationis explicatione nullam factam descriptionem viderit? Nec magis varia et multiplicia enunciationum genera in facili ad discendum conspectu posita videbit. Multa id genus alia, cum huc trahi possent, præterimus, cum in *ordine* potius traditorum fontem hujus vitii latere appareat. Quæ oggerit defensio, talia

---

50) l. c. § 18.

51) l. c. p. 354.

52) G. Fries (in opusculo egregio: *Tabellarisk Udsigt over Sætningens Dele* etc. 1824): "Vocativ, d. e. *Formen for den blotte Tiltale*, der ikke er nogen Deel af Sætningen.

discenti aliunde constare debere, nulla est, cum nec, si ita quoque esset, in justa rerum descriptione, ista desiderari debeant, et in his, quod unicuique lingvæ peculiare ac proprium sit, quem lingvæ genium appellant, haud parum se prodere videatur.

Aliud revera vitium esse videtur, quod, cum vulgo tradant grammaticorum præcepta, a multis Verbis, ex præpositione compositis, propter hanc ipsam præpositionem, Dativum vel Accusativum vel utrumque casum regi, non ostendunt, quomodo, facta compositione, qua v. c. ex intransitivis fiunt transitiva, ipsa novorum Verborum notio istos casus necessario requirat. Qua de re nihil apud Badenum<sup>53)</sup>, nil apud Broderum<sup>54)</sup> et Grotefendium<sup>55)</sup>. Hic longe meliora Zumpt<sup>56)</sup>, ipsius videlicet notionis ratione habita. Et ad rem tenendam ipsius profecto notionis explicationem plus valere, quam singulorum casuum enumerationem, non sine gravissimis autoritatibus contendas<sup>57)</sup>

Ex ceteris, quæ desiderari videntur, addam modo locum de oratione obliqua, cujus plena expositio aut, ut apud Badenum, omnino deest, aut, absque comparatione cum directa, quæ magno discentibus usui foret, ita breviter tractatur, ut de ratione temporum inde non plane constet. Sic hærebit discipulus de Futuro exacto, cujus qui in Subjunctivo modo usus sit, ne ex Brodero quidem et Grotefendio plene didicerit.

53) l. c. § 155. reg. 8.

54) l. c. § 276. sqq. 314. sqq.

55) l. c. § 201. 206.

56) l. c. inprimis p. 294. 313. 316.

57) Spinoza in tractatu de intellectus emendatione (opera Spin. ed. H. E. G. Paulus Vol. 2, 1803. p. 445): Quo res magis est intelligibilis, eo facilius retinetur, et contra, quo minus, eo facilius eam obliviscimur. Latissime patet, quod concinna brevitate exsequitur F. C. Sibbern (Logikens Elementer, 1822. p. 43: "Den fuldkomneste Begriben indtræder, naar Gjenstandens Hvorledes eller dens Tilværelsesmaade, sees som Følge af dens Hvorfor, eller dens Tilværelsesgrund saa at en formal Begriben indtræder som Følge af en real".

Regulas quoque plane superfluas nonnumquam tradi, patebit ex illis, quæ de ordine traditorum infra allaturi sumus. Quæ quidem hoc loco omittimus, cum v. c. haud necessaria ejusdem rei repetitio ipsius plenitudinis minus, quam ordinis apti legem violare censenda sit.

Tertium locum *perspicuitati* assignabamus. Cujus ratio duplex est. Alia nempe est, qua in singulis definitionibus, divisionibus, regulis omnia ita sint expressa, ut, juxta monitum Quintilianicum<sup>58)</sup>, non solum intelligere ut possit, sed ne omnino possit non intelligere discens, curandum sibi duxerit auctor. Quæ virtus quanti aestimanda sit, satis declarat S. N. J. Bloch<sup>59)</sup>. Ab hac vero parte omnia excutere, ut longum foret, sic forte nec satis humanum. Alia vero est perspicuitas, quæ ad totum opus jucunda et utilis extenditur, qua partes non modo per se luce gaudeant, verum hanc ita sibi invicem affundant, ut, quod ex illis efficitur, totum mentem facile ingrediatur, cumque singula confundi nequeant, a se invicem arctissime nexa et suspensa, firmiter menti inhæreat. Huic perspicuitatis generi præcipue obsunt neglectæ notionum divisiones, molestæ earundem rerum repetitiones, eaque in docendo inconstantia, qua quis non ubivis eandem tradendi rationem sequatur. Ubi illud perspicuitatis genus adsit, hanc posse deficere, cum sæpe satis doceant libri, facile patet. Cujus perspicuitatis, quam in vulgatis grammaticis magnopere desiderare nobis visi sumus, cum verisimum fontem lucidum ordinem<sup>60)</sup> esse appareat, in quartum hujus accusationis locum hanc disquisitionem merito rejicimus.

Jam itaque ad illum delati sumus locum, in quo principem facile malorum, quæ syntaxin habent, fontem latere subinde innuimus. Ubi enim de *ordine* tradendorum ineundum est consilium, fundamentum quoddam et caput rei poni debet, ex quo progrediaris, ex quo interna

58) Quintil. de inst. orat. VIII. 2, 24.

59) Det græske Sprogs Gram. 1803. p. X.

60) Horat. in art. poët. v. 41.

quadam necessitate singulæ totius rei ita surgant partes, ut suum quæque locum occupet, unde, salva totius ratione, nequeat divelli, ubi vero collocata, ex antecedentibus nexa, sequentibus veritatem dare lucemque affundere videatur. Hic si per quendam tradentis errorem pro fundamento positum est, quod isto honore minime sit dignum, majus propositum persecuturo accidat incommodum, necesse est, quam organici corporis naturam exposituro, si hic, ex parte quadam, minus, ut videbatur, principali, egressus, hinc omnia derivare, huc omnia referre allaboret. Docti enim operis similitudini cum organico corpore, cetera non disfimili, hoc decedit, quod in isto corpore sic in orbem omnia singula juncta sunt, a se invicem pendentia, ut nullam totius partem absolute primam, nullam primum motorem perhibere liceat. Contra in illo opere primum vere adesse motorem, omnes concedunt, qui pro divulsorum membrorum congerie integrum systema requirunt. Ubi ergo hic a fundamento quodam perperam posito captum est initium, necesse est, ordo turbetur, et, quo maiora evitentur incommoda, oriatur in tractando inconstantia. Quod in vulgaribus latinæ lingvæ grammaticis factum esse, hincque misere torqueri sine fructu discentes, cum aperte contendamus, ita progrediemur, ut, morbi symptomatibus cum periculo expositis, causam ostendamus, remedium, si forte contingat, deinceps quæsituri.

Cum in eo positus sit ordo, ut suo quæque loco sint collocata, ubi hic deficit, nonnulla invenies ibi posita, unde abesse debent, alia abesse, ubi vere desiderentur. Causas deinde, unde de ordine ferendum sit iudicium, ponimus et naturam rei et propositi rationem. Jungere vero, quæ aut rei natura, aut ex propositi ratione diversa sint; dividere, quæ iisdem nominibus cohæreant: eam tandem veram confusionem dicimus.

Methodum, qua in syntaxi latinæ lingvæ vulgo utantur Grammatici, hanc fere videmus: Expositis universalibus quibusdam syntaxeos,

enunciationis, interdum quoque concordantiæ et regiminis notionibus, in singulos mox descendunt Casus, quorum rectionem ita tractant, ut, aut, quemadmodum Badenius, de Substantivis, Adjectivis, Verbis, Adverbiis ac Interjectionibus, certos Casus regentibus, singulatim agant; aut, qua methodo utuntur, certe uti voluerunt, Bröder, Grotfend, Zumpt, totam Casus cujusdam rectionem uno loco exponant. Sequuntur jam de Modis, Temporibus, etc. singula capita, quorum rationem, cum satis constet, hic exponere alienum foret. Mirari subit, quare adeo constanter — neque enim, nisi in levioribus quibusdam, a se discedunt, — hac ratione usi sint grammatici, cum in ipsa Syntaxeos notione et, quæ vulgo fertur, definitione, nil lateat, unde quædam ejus necessitas elucere videatur. Quam quidem rem deinceps exponemus, ubi primum de methodi incommodis nonnulla viderimus. Omnia persequi nec sinit prolusionis consilium, nec temporis angustiae, nec denique nostra qualiscunque latinæ lingvæ cognitio.

Primum itaque multa *juncta* reperies, quæ nullo vinculo sive natura rei, sive instituti ratio contineat. Qui a sermone formando non omnino recessisse velit mentem humanam, aut e lingua logicen plane exulare, is admittat, necesse est, magnam Ellipsium multitudinem, quas quidem ex studio quodam ortas esse non solum luculenter, verum etiam breviter sensa cogitataque sua enuntiandi, sana lingvarum contemplatio docet. Hinc factum videmus, ut diversissima quæque, et quæ natura maxime sint heterogenea, per eundem Casum exprimi possint. Si ergo, ut exempla afferamus, apud Badenium, §. 154, regula 2da recte docet, supplendum esse *negotium*, cet.; 5ta *crimine*; 7ma *causa*; 9na *commoda*; satis patet, omnia hæc minus recte in specialibus poni regulis, quasi per se ista rexisent Verba, ad universaliora vero illa fuisse referenda. Satis enim apparet, nulla interna rei natura, sed modo *fortuito* fieri, ut ad quam diversissima idem adhibeatur Casus.

Quare quoque sæpissime ~~■~~ i cernimus, in talibus jungendis minime sibi constare Grammaticorum rationem. Dum de *Casu* modo, si sibi constarent, solliciti esse debuissent, adeo in eos vi sua, quam utique spernere haud liceat, irruit ipsa *notio*, ut, misa *Casus* ratione, de modo *notionem* in universum exprimendi data opera agant. Quid enim ad istam rectionem, si pluribus, ad notionem æque bene exprimendam utilibus, gaudeat lingua formis? Inde factum, ut v. c. apud Badenum §. 149, reg. 6, ubi de *Genitivo* partitivo sermo est, admisceatur de *præpositionibus* adhibendis observatio. Obiter hic animadvertimus, in syntaxi ejusdem grammaticæ desiderari totum caput de *Præpositionum* usu, satis grave et ab aliis, ut par erat, copiose tractatum.

Insigni exemplo, qua naturæ vi ipsæ rerum notiones interdum sese Grammaticis obrudant, principatumque invito extorqueant usui, esse potest modus, quo locum de urbium nominibus tractavit Bröder, magnus sane aliorum Grammaticorum dux. Qui cum satis vidisset, non sine summo discentium incommodo in tria minimum loca discerpi de hac re grammaticæ doctrinæ particulam, tres istas vulgares quæstiones uno loco<sup>61)</sup> tractavit, at ab censore quodam mixtæ cujusdam rationis accusatus, inter excusandi causas unam affert, tanto viro plane indignam, ne scilicet illud grammatices caput non satis prolixum fuisset factum<sup>62)</sup>. Ceterum, ubi in hoc loco proponitur quæstio illa: *ubi?* non fieri potest, quin Grammatici aut res, natura junctas, a se plane divellere cogantur, cum de *Romæ* est sermo, *Carthagine* non commemorantur; aut eandem rem duobus locis moleste repetere; vid. Baden, § 154, 8. 157, 7. Grotefend totum de nominibus urbium caput in appendicem quandam, quo loco non expectasfes, rejecit<sup>63)</sup>; Zumpt, quod

---

61) Bröder, § 172-177.

62) Ibid. p. XIV.

63) Grotefend, § 169.

magis etiam mireris, in paragraphum de Accusativo<sup>64)</sup> adigit "um hier die Construction der Städtenahmen zusammen zu fassen".

*Divulsa* a se deinde videbis, quæ iterum discerpisse nec natura nec institutum svaserat. In varias paragraphos ejusdem Casus rectio ducitur, ubi v. c. de Gerundio et Supino seorsim agitur, quorum tamen Casus et ipsi suis locis, præsertim cum rectionis legem sequaris, tractandi fuissent. Genitivus objectivus, Substantivus et Adjectivus junctus, quanquam simillima est utriusque ratio, diversis locis perstringitur. Genitivum partitivum quæres inter Substantiva, Adjectiva, Pronomina, Numeralia, Adverbia. Temporis spatiique varios modos divisim quoque locis traditos reperies, romanum quoque anni describendi modum, hinc divulgum, in appendicem coniectum. Ne vero longus sim: analoga quæ maxime sunt, cum non subjiciantur oculis, uno obtutu comprehendenda, mentis aciem omnino fallant, necesse est.

At nec hic Grammaticos sibi constare sinunt, qua vi sunt, ipsæ notiones. Cur ab Accusativo, Verbis juncto<sup>65)</sup>, aberit *interest mea*? Est sane Accusativus. Cur una regula<sup>66)</sup> docebit *abdicare magistratum* et *abdicare se magistratu*, maxime, si alio loco idem<sup>67)</sup>? — etc.

Aliud revera vitium est, quo iterum absque ullo fructu misere torquentur pueri, justas rerum notionumque divisiones apud Grammaticos plerumque desiderari. Quas, dum ambitum notionum exponant, has clariores reddere; dum divisi membra inter se opponant, memoriam firmare; dum totum quoddam exhauriant, securitate quadam, qua ad scientiam<sup>68)</sup> pateat via, mentem perfundere, — si prolixius expo-

64) Zumpt, § 71, 8. p. 301.

65) Baden § 136. — etc.

66) Ibid. § 155.

67) Ibid. § 157.

68) Trahinus huc Schellingianum illud (Vorles. üb. d. Meth. d. acad. Studium p. 77) "Alle wissenschaftliche Bildung besteht in der Fertigkeit, die Möglichkeiten zu erkennen.



nerem, satis apud doctos inutilem laborem suscepissem. Neglecta divisionum ratione fit, ut notiones et regulæ subordinatæ cum coordinatis (ut loquuntur), mixtæ tradantur. Sic v. c. apud Badenium in particula illa de Ablativo Verbis juncto<sup>69)</sup>. Traditis reg. 1ma universalibus nonnullis de hoc casu, specialiora quædam sequuntur; utrum vero hæc plane nova sint, an tantummodo universalia illa hic ad singulos casus conferantur, non omnino videt discipulus. Quasi *pretium* non esset *mediorum*, quæ vocant, species, nec ipsum *medium* sub *causæ* notionem referre liceret, de pretio peculiaris regula nonnulla tradit. Quam *medii* notionem cum puer regula 1ma, 2da, 3tia denique exhaustam non possit non putare, nec parum forte de re peracta sibi gratuletur, — ecce, misello novam hujus notionis particulam intendit regula quarta<sup>70)</sup>, ut, cum sæpius sibi jam præter opinionem e manibus elapsam viderit *medium*, minime sit mirum, si desperans ingemiscat:

”Quo teneam vultus mutantem Protea nodo<sup>71)</sup>?

atque in *omnibus* sequentibus regulis, ut lepido exemplo factum in puerorum institutione ipsi audivimus, *medii* quidquam subolere sibi videatur.

Quot porro ex eodem fere fonte regulæ, quæ, cum juxta positæ sint, apud pueros, speciem diversitatis præferentes, pro novis non possint non valere! Sic, quo hic quoque non absque exemplo pugnemus, quare apud Badenium, et quidem duobus locis<sup>72)</sup> regula ista de duplici Verborum *donare*, *circumdare*, cet., constructione, nulla ipsius notionis facta expositione? Ex hac enim pateret, nullam in illis verbis occultam inesse qualitatem, qua a ceteris essent plane diversa, sed ipsam, quæ illis exprimitur, notionem a duabus partibus posse spectari, quemadmodum Danice dicere possimus: ”At give Eén Noget” et: ”At begave

69) Baden lat. Gr. § 157.

70) Ibid. reg. 4. not. ”Egentlig er det *Middlets* Ablativ.

71) Horat. I Epist. 1, 90.

72) l. c. § 155, 9. 157, 9.

Een mèd Noget." Isto autem modo novas quasdam analogias, hoc est, anomalias, non poterit non somniare puer,

Eodem multa alia trahi possent, quemadmodum illud, quod inter primaria præcepta apud Badenum <sup>73)</sup> refertur locus de nominibus urbium, Præpositione suppressa, in notulas vero rejicitur præceptum de hac terrarum nominibus præponenda. <sup>74)</sup> Hinc quoque, quod *emeritate* dicendi regulis haud raro *pulchre* loquendi interseruntur.

Neque parum desiderari videtur accurate instituta latinæ lingvæ cum vernacula comparatio. Quæ in hac ab illa discedant, si in certa capita redacta essent, magnus sane singularium regularum e grammaticis exsularet numerus.

Vidisse æquos disceptatores, nobis persuademus, ex magno eorum, quæ moneri potuissent, numero, nos pauca modo quædam et obvia, quæque nulla disquirendi arte indigerent, depromsisse. Quæ si sola quoque essent, ut minime sunt, jure colligere videremur, nec ad discendi facilitatem, nec ad recordandi firmitatem, nec denique ad verum mentis cultum, quem summo semper loco ponimus, satis valere methodum, tot tantisque incommodis pressam. Suffragantem in universum habemus Ihre <sup>75)</sup>, qui: "Causam," inquit, "seri progressus multo maximam Scholasticis nostris libris imputandam esse recte arbitrator, qui quippe vel mole nimia, vel obscura brevitate, vel confusa copia, vel dubio regularum sensu moras ac tædium injiciant, et æternas juventutis iras et diras jure suo mereantur". Cum præsertim nil sæpius audiamus, quam, optimam ad logicen manuductionem esse Grammaticam, concedendum quidem est, qualicunque linguarum studio multas rerum notionumque rationes, cum eædem menti sæpius obversentur, clariores utique fieri; hujus vero rei laudem ad ipsam grammaticen parum

<sup>73)</sup> l. c. § 156, 6. 157, 7.

<sup>74)</sup> l. c. § 156, 6. not. 3. 157, 7, not. 4.

<sup>75)</sup> Th. Ihre: In nuce Roma, 1780, p. 3. 4.

pertinere, facile patet. Pro tot enim annorum studio, quamvis multa didicerit puer, illico subit quærere: Cur non plura? Cur nullo ordine? Didicitne, ut hoc utar, spatii temporisve notionem — de metaphysica quadam accuratione, de ipsa notionum veritate, nullus hic sermo est, — ad sermonis usum recte et plene considerare? Meditatusne unquam est, an vulgatis illis quæstionibus: Ubi? Quo? Quando? Quamdiu? omnis de hisce notionibus quæstionum ambitus exhaustus sit? Divulsas profecto tantum vidit notionum particulas, nec quæ totum quoddam constituent, nec qua sint inter se ratione, intelligere potuit. Quare vereor, ne lichenes referant notionem ejus, qui, cum haud veris radicibus sedi suæ inhæreant, parum ad vegetam vitam succi inde trahant.

Minus vero mirabimur istius methodi incommoda, si *fontem* respexerimus, unde ista scateant, *Rectionis* inquam notionem. Neque enim aliter fieri *posse*, ubi hinc progrediaris, facile ostendi posset, si per hujus scriptionis angustias satis liceret. Pauca modo ex multis observabimus.

Facile concedent omnes, apud Badenium magis etiam, quam apud ceteros, quos data opera nominavimus, grammaticos mixta plurima esse atque confusa. Contendent vero, hanc, quæ et ipsis displiceat, tradendi rationem posse evitari, si ex fundamentali quadam *singulorum Casuum*, cet., notione ita procedatur, ut, ad eum fere modum, quo in lexico rite instituto, alia ex alia, ut quævis proxima sit, se excipiat significatio. Primum vero monuisse sufficiet, nemini adhucdum tot Grammaticorum contigisse ita hanc viam absolvere, ut aliis satisfecerit. Sic quæ hanc in rem nuper disseruit J. O. L. Schulz<sup>76)</sup>, licet haud vulgare prodant acumen, reprehensionem censoris critici,<sup>77)</sup> neque, ut videtur, immerito, incurrerunt. Quod ab alio censore<sup>78)</sup> factum est

---

76) In: Jahrbuch der Berlinischen Gesellschaft. I. 1820.

77) Jen. Allg. Lit. Zeit. 1822. Erg. Bl. No. 82.

78) Ibid. 1824, No. 73.

in Genitivo periculum, ut nec ad finem perductum, ita quoque adeo amplam et vagam exhibet primam hujus Casus notionem, ut plane, si istud liceret, tolleretur Casus notio. At cum videamus, rem hactenus minime expeditam esse, cum nec unquam plane posse expediri, satis docet et tot linguarum in modo, quo idem Casus adhibeatur, discrepantia, et ejusdem linguæ in hac re inconstantia, quam, invitis logicis rationibus, usus tyrannus invexerit. Tandem, ut nihil non demus, — si vel unquam hac in re omnia explicare contigisset, adeo ad puerorum captum difficilis foret ista doctrinæ particula, ut ad verum scholarum usum converti non posset. Neque enim, nisi omnium Categoriarum inter se ratione perspecta, quomodo singulæ notiones ex se suspensæ essent, intelligerent pueri.

Noli, benevole lector! quisquis mecum labori scholastico te lubens totum tradidisti, — spernamus pariter eorum judicia, qui aut nunquam, nisi servili mente, puerum instituerint, aut, se pueros fuisse, oblitum plane sint! — noli mihi indignabundus objicere, me, sublevandi, quod jactem, puerilis ingenii studio, at inhumano, abreptum, parum vidisse, quam minimo negotio istis nævulis, quorum vulgatas grammaticas adeo graviter incusem, medeatur præceptor assiduus. Esse in tali quoque grammaticarum tractatione, quæ mentem exerceant; facile v. c. pretii notionem ita posse discentibus explicari, ut ad media, quæ vocant, et hæc iterum ad causæ notionem referantur. Sic ad justam rerum tractationem nihil defuturum. Id ipsum, vellem, objiceres. Quid enim aliud sibi vult hæc objectio, quam ad rectam juventutis institutionem talem ipsarum notionum explicationem necessario requiri? Quod si est, quare, quæ ordine exposuerit præceptor, mox domi confundet et obliterabit grammatices lectio? Quare cum odio revertetur ad librum puer, a quo se ludibrio habitum iri et oppressum senserit? Quare denique ab ipsa grammatica, quæ natura sua fere tota philosophica est, exsulabit philosophia?

Alia vero, eademque multo gravior instat reprehensio. Dum enim vanum quorundam nihil moramur fastidium, qui vel in scientiis in universum, vel in his trivialibus, quo pertinet grammatica, transacta penitus jam et profligata omnia opinantur, meliusque et rectius tritis illis et obsoletis stari, quam de melioribus anquiri; ecce, jam mihi videor audire viros, doctrina et experientia graves, quibus vel inter scholarum subsellia senectutis ornamenta obrepserunt, — audire videor hos, paterna voce juvenem increpantes, quod inveterata diu, et quæ sibi placuere, immaturo novandi studio tangere et carpere non vereatur. Omnia sibi licere opinatum esse, qui non recordetur, quot patrum, quotque sua memoria ex illa schola egressi sint, omnium literarum atque puræ inprimis latinitatis decoribus conspicui totique posteritati facem prælaturi, licet illa, quæ adeo immodeste impugnetur, vel adeo tristiore etiam methodo eruditi fuissent. Quorum virorum cum venerabundus suspicio monita, ita demum facilitatem ad defensionem meam admittendam exposcere audeo, si inter ea, quæ ipsis hic displicuerint, nonnihil tamen reperire sibi visi fuerint, unde candidum, si vel ardore quodam abreptum, literarum studium in me suspicentur. Quod si leni judicio annuerint — ita vero fore, spem facit conscientia, — æquo etiam et placido animo defensionem mihi paratam, scio, audient. Ex eventu itaque rem ipsam spectari, et, ubi multas in unum concurrisse causas appareat, unius modo ex hisce rationem haberi, minus per veritatem licere arbitror. Scilicet illis temporibus, quibus — quod etiam patrum memoria factum scimus, — perversa admodum religionis institutione imbuerentur vulgo homines, ad superstitionem proni, Deo parum, multum malo genio tribuentes, illis temporibus nullos exstitisse, nullos existere potuisse homines, incorrupta castaque vitæ ratione conspicuos, coelicolarumque societate dignissimos? Scilicet illis temporibus, cum, quod ad alliciendos mortales Paradiso forte deesfet, ad proterrendos atque in coelum quasi metu adigendos Gehennæ daretur, — illis in hominum men-

tibus — heu virtutem! — non nisi servilem animum et abjectum, in majoris modo lucri spe virtutis capacem, regnare *potuisse!* O! generosum, o! perspicacem humanarum rerum arbitrum, cui tale de majoribus, tale de tot hominibus, adhucdum ita institutis, æquum videri possit iudicium! Ecquis vero ideo seriorum — nostorum dico, — temporum facem, ubicunque modo vera illa fuere lumina, spreverit altoque supercilio tanquam inutilem respuerit? Ne itaque in levioribus quoque, ad scientiarum orbem pertinentibus, nullus sit ad meliora tendenti aditus et locus, candido cuique literarum cultori sperandum, et si vel spes deficeret, allaborandum arbitror. In libris vero de arte dijudicandis; non id agitur, *num* ex illis disciplina quædam addisci possit; potest enim vel ex vilissimis. Id vero agitur, quam facile possit arripi, quam bene intelligi, quam firmiter memoriæ infigi; neque solum, præsertim ubi de libris, scholarum usui dicatis, sermo est, quam bene hæc ars sola disci possit, verum etiam, id quod in toto hoc genere facile præcipuum est, quam cum aliis institutionis partibus ad excolendum intellectum amice conspiret. Neque enim peculiare scribuntur libri, quibus cultus mentis unice sit propositus; nec ad id constituuntur certi doctores, qui data opera hoc unice agant, dum ceteris omnibus, in suis rebus defixis, de hac plane liceat esse securis. Omnes ad docendum instituti libri constitutique præceptores juncta opera pariter illuc ferri debent; nec quisquam eorum est, qui mentis cultum spernere parumque ad se pertinere opinetur. Ne itaque liber ullus, nec præceptor, ad intelligentiam excolendam ἀσύμβολος accedat! Id quod nostris temporibus; in nostra præcipue scholarum constitutione — minus forsitan ideo sensere majores — magis necessarium est, quod totam classem non unus regit dux, qui in unum locum omnes omnium disciplinarum radios dirigere possit, cum nempe singulis singulæ demandatæ sint scientiæ. Unde nisi præsens illud adhibeatur remedium, nonnihil periculi est, ne, ob-

orto quodam studiorum divortio<sup>79)</sup>, non fiat, quod Baco præcipit, ut "evitetur solutio continuitatis in scientiis. Hujus etenim contrarium "particulares Scientias steriles reddidit, inanes, et erroneas, dum a "fonte et fomite communi non aluntur, sustentantur, et rectificantur"<sup>80)</sup>. Quo de consilio ad altius quoddam fastigium in omni scientiarum genere respiciendi valet, quod non minus pulchre, quam vere ait Tresschow<sup>81)</sup>: "De Stjerner, hvorefter Søfarerne saa sikkert styre deres "Kurs, ere jo de fierneste Gjenstande man kan finde: vilde man i deres "Sted vælge nogen, der ligger nærmere, saa vilde deres Plads forrykkes: til en stadig Gang udfordres faste Punkter, og saadanne ere kun "de længst bortliggende".

Meditatus, a quo ad Scholasticæ juventutis institutionem accedere licuerat, de adoratione grammatices latinæ faciliore, et quæ ad rei naturam, si contigisset, propius accederet, factoque periculo, cum tandem in eo essem, ut ultimam manum chartis admoverem, proluendi negotium, a Rectore scholæ nostræ delatum arripui pro occasione in libellum præfandi, quo me syntaxin latinæ linguæ pueris redditurum faciliorem sperare ausus eram. Sic enim proposita simpliciter tota opusculi ratione fore, ut, si idoneis arbitris displicuisset totum, non novum rei nostræ literariæ injungeretur pondus; sin ex allatis nonnulla placuis-  
sent, de ceteris, ab illis certe, quibus non ingrata fuissent mea studia, monitus, meliora circumspicerem. Quænam jam me allaturum opiner meliora, — an meliora, quod forsitan nova, — an nova, quod ex antiquis et veris nonnihil mutatum methodo et ordine sit, si quærat lector benevolus, primum vereor, ne fraudi nobis istud *meliora* sit. Haud arrogantes ostentamus librum, qui, "tanquam serpens Mosis, serpen-

79) Baco de dign. et augm. scient. 1645. p. 8.

80) Ibid. lib. IV. cap. 1. p. 282.

81) Om Sprognes Opriudelse (Skand. Lit. Selsk. Skr. 1809, p. 234).

tes Magorum devoret"<sup>82)</sup>; neque nos doctis scripsisse putamus, ad juventutis modo usum respicientes. Deinde haud ex novitate defensionem prætendimus. Misellam defensionem, cujus momento quavis labentis horæ particula aliquid decedat, quæque, fragilitatis semina in se gerens, ultro in perniciem ruat! Apud naturam vero humanam patrocinium quærimus, cui, quicquid obloquantur commentorum humanorum annales, nisi occupaverit quæsita et contorta ratio, nisi opprimant præjudicatæ opiniones, quæ vere sint simplicia cogitantique obvia, non displicebunt. Hoc secuti sumus, *juventuti* syntaxin linguæ latinæ oblaturi; an nos, qua via ingressi simus, quidquam possimus consequi, ex brevi opusculi conspectu judicabunt censores. Quicquid stauerint, contenti erimus, si modo ad "solertem dubitationem", quam Scientiæ partem esse non contemnendam, vir magnus<sup>85)</sup> asseruit, conatus nostros non omnino gravati retulerint.

Cum pro diverso consilio diversa cujusvis operis ratio ineunda sit, jam supra nihil aliud præ nobis tulimus, nisi periculum syntaxin latinæ linguæ in *scholarum* usum faciliore, et quæ ad naturam rei propius accederet, ratione adornandi. Aliam esse rationem grammatices, quæ adultis, aliam, quæ elementariis pueris tradatur, in propatulo est. Multa illi ex aliis linguis cognita habent; his omnia nova sunt. Illi cogitatione sola plurima arripiunt; his omnia esse debent ad sensus revocata. Ubi, cum intellectum minus juvet, quæ locali modo memoriæ gratificetur methodus, observandum, divisionibus, tabulis, schematibus cum reali localem optime juvari, dum hæc, ut par est, ancilletur illi. Proinde ita semper progrediendum, ut memoriæ quam maxime opituletur intelligentia<sup>84)</sup>. Similis est enim multis referta, ab intelligentia vero destituta

---

82) Baco, l. c. p. 118.

83) Baco, l. c. lib. 3. cap. 4. p. 250.

84) Non possum, quin locum exscribam e Jen. Allg. Lit. Zeit. 1824, No. 72, p. 90.

"Wir können nicht umhin — dies Eine zu bemerken, dass sich ja auch durch



memoria plantarum illis, quarum semina, coma instructa, longe quidem lateque spargi possint, at, cum nullo pondere ad terram ferantur, cujusvis auræ ludibria, in calles et saxa delata, maximam partem, utut multa sint, inutilia pereant. Facili porro et discentibus obvia ratione volumus in libris scholasticis disciplinas tradi; nec obest huic fini systematicus quidam rigor, cum contra sola regularum congeries sit rudis indigestaque moles, quæ iners jaceat, Chaus illius ad instar, quod nondum — unde nec quidquam ex se gignere posset, — ad vitam ullus excitasset *Noûs*.

Quæ ceterum in grammatica scholastica requiri possint, — ne criticarum modo sit observationum collectio; ne domus sit, in qua ad omnes fenestras se jactet philosophia, dummodo limen servet, contenta; ne a gravioribus initium capiat; ne denique ad mentis cultum, quantum in ipsa sit, conferre nolit: hæc omnia si animo complectimur, jure veremur, ne nimium infra metam substituisse, vel adeo graviter ab ea aberrasse nos deprehendant censores. A peritis vero reprehendi et meliora doceri maluimus, nude et simpliciter opusculi ratione proposita, quam inani fuco et detrectando patrocinium quærere.

Cum in Syntaxeos notione, ut jam monuimus, nihil deprehendamus, unde pateat necessitas quædam ex rectionis notione progrediendi<sup>85)</sup>, totam rem sic nobis sistimus:

Sunt in sermone nomina rerum, sensibus subjectarum; sunt signa notionum, quæ sola mente concipiuntur. Ipsas rerum notionumque

---

den *Verstand* dem Gedächtnisse zu Hülfe kommen lasse, und dass dies um so mehr da nöthig sey, wo die grosse Masse des zu Bewahrenden das Gedächtniss allein überfüllen würde. Das Gedächtniss selbst ruft den Verstand zu Hülfe; denn durch das Verknüpfen nur kann es sich des Stoffes *dauernd* bemeistern, und durch eine innere Verknüpfung des Vielgetheilten kann und soll ja nicht das Historische der Sprache entnommen, sondern nur leichter, freyer und kürzer zum Bewusstseyn gebracht und zum *bleibenden* Eigenthume erhoben werden. etc.

85) Sumsisse sibi hoc, non vindicasse videntur Grammatici.

inter se rationes, quæ in sensus minime cadunt, complectimur ope quarundam mentis formarum idearumque fundamentalium, atque verborum positione, nexu et inflexione exprimimus. Quodsi igitur de fine grammatices recte statuit Vater<sup>86</sup>); cum deinde de ipsis notionibus, quæ menti insunt, certi simus, de signis vero atque formis linguarum non item, certe non eodem modo<sup>87</sup>): quidni itaque in Syntaxi ita proponimus quæstionem: Quonam modo formis suis utitur lingua ad istas notionum rationes, quæ menti inesse deprehenduntur, exprimendas? Quod si licet, principem Syntaxeos partem, a simplicissimis ad maxime composita progredientes, quadripartitam adornare licebit.

Ubi Etymologia docuerit formas singulorum verborum, singulas notiones experimentium; ubi *Vocum formatio* tradiderit, quomodo ex primitivis derivativa, ex simplicibus composita oriuntur: accedit tandem Syntaxis, expositura regulas, quas sequatur lingua, ubi junctæ notiones junctis verbis sint exprimendæ. Quæri hic potest, quomodo formis suis utatur lingua

- I. ad exprimendas notiones compositas, quæ nec uno verbo proferri possint, neque tamen veram jam enunciationem efficiant;
- II. ad singula judicia simplicibus enunciationibus exprimenda;
- III. ad juncta judicia junctis enunciationibus et periodis exprimenda;

---

86) J. S. Vater: Lehrbuch der allg. Gramm. 1805. § 8, 1. p. 9.

87) J. S. Vater: Uebersicht des Neuesten, was für Philosophie der Sprache — gethan worden ist. 1799. p. 112. "Es giebt also keine allgemeinen Redetheile aller Sprachen, es giebt aber allgemein mögliche Theile aller Urtheile. Cfr. ibid. p. 127. "Man ist gedrungen, Alles, was man denkt, durch irgend eine Kategorie zu denken: aber man ist nicht gedrungen, Alles, was man spricht, immer durch irgend eine der aufgestellten Sprachformen zu sprechen. Die Kategorien nämlich zeigen durch sich ihre Vollständigkeit; aber in der Summe dieser aufgestellten Sprachformen liegt wahrhaftig kein Beweis, dass sie alles das umfassen, was durch Sprache bezeichnet werden kann."

IV. ad plenam, ex enunciationibus et periodis compositam, orationem formandam.

Ad hanc divisionem, ex rei natura *necessariam*, accedit alia, ex tradendi consilio *apta*. Cum enim regularum aliæ ad fundamentales linguæ analogias pertineant, aliæ hinc iterum pendeant; cum et ipsam rei rationem et discentem confundant et obruant graviora levioribus mixta: ut ipsum linguæ genium eo facilius apprehendat discipulus; totam disciplinam in duos quasi institutionis cursus dispescimus.

Huic syntaxi, *emendate* dicendi rationem exhibenti, quam, quia regulas tradit, ex peculiari, quo in (latina) lingua se mens humana exseruit; modo ortas, *logico-grammaticam*<sup>88)</sup> appellare licet, — jungimus aliam, quæ *ornate* dicendi leges tradat; quam quidem *grammatico-æstheticam* appellabimus, memores illius, quæ linguæ cum graphice intercedat ratio, qua colorum temperatione prior sit justa delineatio. Neque veremur, ne ex hac distinctione discipulis surgat incommodum, ubi viderint, "aliud esse *grammatice*, aliud *latine* loqui"<sup>89)</sup>.


In primo capite — ut jam, quo totius opusculi ratio censoribus constet, de singulis nonnulla depromamus, — itaque in notiones inquiremus, aut vere compositas, quas tamen non uno verbo exprimere liceret; aut quæ, aliis adjunctis, paulum inflectantur. Hic v. c. ad *objecti* notionem exprimendam juxta afferentur: *desiderium laudis*; *cupidus gloriæ*; *legere librum*; ad *partitionis* notionem: *pars hominum*; *multi vestrum*; *optimus omnium*; *tertius eorum*; *parum studii* (quo loco etiam præpositionum: *e, ex, de, in, inter* mentio fiet). Hic agimus de Adjectivorum cum Substantivis congruentia: *vir bonus*. etc.

---


88) Nonnihil interdum a logica grammaticam rationem discedere, ostendit, inter alia, mirum illud, quod utrumque, licet notione diversum, eadem linguæ forma profertur: *vir dignus poena*; *facinus te non dignum*.

89) Quintil. de inst. orat. I. 6, 27.

In secundo capite allaboramus totum simplicis enunciationis ambitum ita exponere, ut quam exactissime discernere puer intelligat, quid unam enunciationem efficiat, quidque ex pluribus sit junctum. Cui consilio ut satisfaciamus, præmissis necessariis nonnullis de Subjecto, Prædicato, Copula, cum deinde viderit puer, quomodo per rei et linguæ naturam liceat Prædicato stricte sic dicto (Omsagnsordet) cum Copula juncto in unum Verbum concrecere, proponimus schema, in quod omnes plenæ enunciationes sint cogendæ, cujus loca vel nonnulla vel omnia occupent, hunc in modum:



Quæ apposuius signa, ad singulorum inter se nexum constructione (ut ajunt) notandum, deinceps opem ferre debent; v. c. "Spes sola homini in miseriis solatium præbet":



Progrediemur in his iterum ex simplicissimis, ut videat discipulus, quomodo ex notionibus illis (cap. I.), cum accedat Verbum substantivum (vellem cum Grotefend<sup>90</sup>) hoc sensu *assertorium* dicere), plena oriatur enunciatio. Ubi deinde viderit, omnia cetera Verba ex hoc et aut Adjectivo, aut Participio concreta esse, ad Intransitiva perget, tum ad Transitive; et his quidem primum addetur actionis objectum, deinde quoque finale, ubi expositum fuerit, in agendo aliquid simul finem quandam, ad quem referatur actio, posse respici. (Vitanda omnino puto nomina ista: *objectum rei* et *objectum personæ*, quippe quæ pueros mire confundant, ubi illius loco *persona*, hujus vero *res* est). Tandem ad Accidētia devolvimur, quæ in suas classes digerimus; *spatii* tum *temporisque* notionem, variosque modos exponimus, fundamentalia ubique primo loco ponentes, quæ vero a fundamentali analogia recedant, illinc subnectentes, non omissa Ellipsis ratione, ubi hinc *causam* constructionis et logice et linguæ historia derivandam clamant. Ibi quoque *Causæ* notionem, *medium*, *instrumentum*, *pretium*, suis locis subjungentes, neque spretis parvis divisionum ad conspectum facilibus tabulis, explicamus.

Ceterum a categoricis enunciationibus incipimus, atque eatenus progredimur, quo per simplicis enunciationis ambitum licebit. *Negationis* tractandæ rationem suo loco ad singula enunciationum genera subnectimus, v. c. *Scribe!* — *Ne scribe!* *Ne scribas!* *Noli scribere!*

Ubi ad tertium caput ventum erit, id præcipue agemus, ut a *subjectis* (afhængige) *principales* (uafhængige) enunciationes discernat puer. Cum ad orationis naturam rite intelligendam atque adeo ad mentem excolendam admodum conferat, non solum notionum, atque ita verborum (de quibus in superioribus capitibus), verum etiam judi-

---

90) G. F. Grotefend: Grössere lat. Gramm. 1823, p. 107. (quam tamen editionem non nisi semel evolvere licuit).

orum; atque ita enunciationum inter se rationes accuratissime novisse, haud veremur, ne, pro fine proposito, nimis in hac re futuri simus prolixi. Cum enim hic non agatur de *forma* quadam absque notione et usu, talem accuratorem neque puero molestam esse, neque ad linguæ naturam intelligendam inutilem, nec denique parum ad mentem excollandam uberem, contendere audemus.

Quæ ceterarum syntaxeos partium ratio sit, cum ex allatis colligere liceat, ne in re superflua longus sim, exponere supersedebo.

Restat vero, ut de methodo in universum nonnullas addam observationes.

*Exempla*, quorum ad claritatem summa vis est, ita seligentur, ut quæ in priore capite allata fuerint, in posteriore suis locis prima ponantur, additis, quæ mutata requirat ratio, ut eo luculentius perspiciat puer, qua vi illud sit, quod jam accedat, novum. Si v. c. in primo capite fuit: *nomen viri*, in secundo erit loco quodam primum; *nomen viri* est clarum; si ibi fuit: *posse loqui*, hic occurret: *posse loqui* eripitur<sup>100</sup>). Forte sic a cognitis tutius, et, quod minime spernimus, jucundius carpent viam pueri. Ubi ad majora exempla ventum erit, nunquam, præeuntibus lucido exemplo Ruddimanno, Meierotto, Brodero, nisi ex ipsis! autoribus, afferentur loca.

Addetur apto loco conspectus notionum, quæ certo Casu vel Modo exprimentur, ubi, quatenus licuerit, ex fundamentali notione progrediendum. In singulis casibus delegabuntur pueri ad paragraphos (quas cum Brodero minutas faciemus), in quibus jam notionem sibi obviam habuerunt.

Volunt deinde pueros discere terminos technicos. Discant sane, sed ita, ut ab intellectis progrediantur. Natura utique ad nomina rerum quærenda feruntur pueri; nominibus notiones figendæ sunt. Præ-

---

100) Ovid. Metam. II. 483.

cedant vero nomina ex lingua patria, quæ aut ultro intelligantur, aut quibus, si quid ad perspicuitatem defuerit, hoc facile addi possit. Non potest item in peregrinis.

Tandem modo addemus, locum haud infimum occupaturum esse traditorum *indicem*, eum in finem quam exactissime confectum, ut pueri, capite quodam, aut toto libro lecto, ad indicem delegati, ex memoria plenam sibi conficiant singulorum capitum grammaticam, ordine digestam. Qua re fore speramus, ut paulatim, *Genitivi*, *Conjunctivi*, *Pronominis relativi*, etc. parvulas syntaxes sibi, haud, puto, inutiliter conficiant.

Ad commendandam in universum hanc methodum unum modo offeremus momentum. Siquidem recte monent, qui docent<sup>101)</sup>, quæ *genetica* quadam ratione existere viderimus, eorum naturam penitus perspicere, nulli dubitamus, quin ad linguæ rationem intelligendam, atque adeo ad mentem excolendam, plurimum referat, paulatim vidisse, quomodo ex singulis partibus, rite junctis, tota denique surgat oratio. Videbit isto modo puer totam existere linguam. Qualem vero linguam! Quæ cum ex doctis illis, quæ vocantur, prima<sup>102)</sup> addiscatur, ceteris facem sit prælatura; quæ formarum copia constructionisque ac curatione notionum judiciorumque inter se relationes, quasi in tabula depictas, sensibus subjiciat.

Neque in objectionibus fingendis refutandisque multi esse audemus, ideo præsertim, ne, dum his forte non satis ponderis commodaremus, in adversarios paulo videremur iniquiores. Difficilior et abstrusior, quam pro captu puerorum, non sane ei videbitur ista methodus, qui cogitaverit, nos hic de realitate notionum cum pueris non disputare, id vero tantummodo quæri, *an* in mente *sint* istæ notiones, id quod ex usu

101) F. C. Sibbern, Logikens Elementer, 1822. § 8 et 15.

102) Ceterum non fugit, quod de Græca egregie monuit R. K. Rask, Om det gamle Nordiske Sprog Oprindelse, 1818, p. 27.

satis noverint illi; deinde, *quomodo* in lingua aliqua verborum formis *exprimantur*. Neque sane adeo multæ sunt istæ prænotiones, neque ex unius scholæ placitis earum pendebit facilis ad usum conspectus.

Posse vero quoque facili negotio, adeoque debere ad talem syntaxin viam sterni, si apte tradatur Etymologia, jam nobis monstrandum erit. Discat itaque primum puer, quæ vis sit enunciationis, quænam ejus partes <sup>105</sup>). Videat deinde Interjectione per se totam, licet cryptice, enunciationem effici. Hinc discedere ceteras orationis partes. Discat in Substantivis rectos (uafhængige) Casus ab obliquis (afhængige) discernere; institutisque jam in Genitivum exercitiis, ubi Substantivo jungitur Substantivum, plures jam ejus species ex usu cognoscat. In Adjectivis Dativi quoque ratio addi jam poterit. Primas mox, interposito verbo assertorio, plenas enunciationes oriri videbit puer. Ubi jam post Intransitiva cognoverit Transitive, his jungat objectum actionis, deinde quoque finale. Vi Præpositionum deinde intellecta, harum ope Accidentia, ad Prædicatum complendum, Verbo jungi posse videbit; posse deinde pro Substantivo cum Præpositione poni Adverbium. Absoluto jam his partibus orationis toto simplicis enunciationis ambitu, Conjunctionum ope plures enunciationes jungi posse, hincque orationem existere videbit. Ubi id modo adhuc monebimus, miserum sane esse, pueros elementarios, quo scilicet ad latinarum Musarum vireta amoenior sit via, in græcarum Declinationum ambagibus, in tertiæ Declinationis latinæ dumetis, in regularum de Genere silvis, humane perviis, totos menses, vel adeo annos, detineri, eo quidem ordine, quo apud Badenum sunt. Quem grammatices usum an ipse clarissimus autor probaverit, equidem dubito.

Hanc Etymologiæ tradendæ methodum, cum in latina lingua discenda stilum præcipue respiciamus, ad scribendi quoque facilitatem

---

105) Verissime G. Fries in libro: *Das Der- die- das*, 1819, p. IV. not. "Nach meiner Einsicht führt nur ein deutlicher Begriff von den Theilen eines Satzes zu einem richtigen Begriff von den Casus".



multum valere posse existimo. Quo accedit, quod pueri unicé cupiunt aliquid agere, quo se nonnihil efficere sentiant; cumque aliquid se jam posse opinentur, lubentius revera discunt.

Maximum vero ad latinam linguam rite discendam in prævio vernaculæ studio situm arbitramur præsidium. Hac omnia sensa cogitataque exprimere didicit puer; hinc omnia ad notiones Casuum, Modorum, cet., illustrandas necessaria exempla petere cogitur præceptor. Ubi ex hac mentem — ex speculo videlicet corporis formam — cognoscere inceperit puer, magis jam magisque in universales illas, menti penitus insitas, prænotiones convertenda est ejus attentio, quas cum familiares sibi — sunt utique domesticæ — ex usu reddiderit, tum demum formas quoque linguarum ipse *circumspicere* poterit, quibus illas ad sensus revocatas sit visurus. Recte enim Vater<sup>104)</sup>: "Die Vollkommenheit der Form ist hier Mittel zur Fixirung der bezeichneten Begriffe". De lingua vero patria in jura sua omnino vindicanda atque de linguæ latinæ studio magis, quam vulgo fit, adultæ ætati reservando, verius peritis relinquimus, quam præripimus judicium.

---

Indicimus hac prolusione EXAMEN PUBLICUM in schola nostra ad eos dies habendum, quos proxima pagella exhibet; quæ nostra solennia ut celebrare velint, qui rebus nostris faveant, ea, qua par est, modestia rogamus.

---

104) J. S. Vater: Uebersicht des Neuesten etc. p. 157.

Den offentlige Examen i Friderichsborgs lærde Skole  
holdes saaledes:

Mandagen d. 20 Septbr.		Thorsdagen d. 23 Septbr.	
Formiddag.		Formiddag.	
8-12.	Latin.	8-12.	Latinsk Version. Cl. 4.
	Græsk.		Eftermiddag.
	Religion.	2-6.	Fransk } Version. Cl. 4.
			Tydsk }
Eftermiddag.		2-4.	Arithmetik. Cl. 2.
3-7.	Religions Opgave. Cl. 4.	Fredagen d. 24 Septbr.	
Tirsdagen d. 21 Septbr.		Formiddag.	
Formiddag.		8-12.	Hebraisk.
7-12.	Historiske Opgaver. Cl. 4.		Historie. } Candidaterne.
			Geographie. }
Eftermiddag.		Eftermiddag.	
2-7.	Arithmetik.	2-6.	Religion. Cl. 3. 2.
	Geometrie.		Latin. Cl. 2.
	Fransk.		
	Tydsk.	Løverdagen d. 25 Septbr.	
Onsdagen d. 22 Septbr.		Formiddag.	
Formiddag.		8-12.	Religion.
8-12.	Latinsk Stil. Cl. 4. 2. 1.		Fransk. }
			Tydsk. }
Eftermiddag.		Eftermiddag.	
2-6.	Mathematiske Opgaver. Cl. 4.	2-5.	Latin. }
	Latinsk Version. Cl. 2.		Religion. }
			Latinsk Version. Cl. 3.

## Mandagen d. 27 Septbr.

## Formiddag.

8-12.	Latin.	}	Cl. 4.
	Græsk.		
	Declamation.		

8-10.	Arithmetik.	Cl. 1.
-------	-------------	--------

## Eftermiddag.

2-6.	Græsk.	}	Cl. 3.
	Latin.		

## Tirsdagen d. 28 Septbr.

## Formiddag.

8-12.	Græsk.	}	Cl. 2.
	Historie.		
	Geographie.		
	Dansk Stiil.	Cl. 1.	

## Eftermiddag.

2-5.	Fransk	}	Version. Cl. 3. 2.
	Tydsck		

## Onsdagen d. 29 Septbr.

## Formiddag.

8-12.	Hebraisk.	}	Cl. 4.
	Historie.		
	Geographie.		
	Latinsk Stiil.	Cl. 3.	

## Eftermiddag.

2-6.	Arithmetik.	}	Cl. 4.
	Geometrie.		
	Dansk Stiil.	Cl. 3. 2.	

## Thorsdagen d. 30 Septbr.

## Formiddag.

8-12.	Historie.	}	Cl. 3.
	Geographie.		
	Arithmetik.		
	Geometrie.		

## Eftermiddag.

2-5.	Fransk og Tydsck.	Cl. 3. 2.
------	-------------------	-----------

## Fredagen d. 1ste Octbr.

## Formiddag.

8-12.	Historie.	}	Cl. 1.
	Geographie.		

---

Derefter forevises Disciplenes Skrift- og Tegne-Prøver, og bestemmes da Characterer for Calligraphie, Tegning og Svømning.

---

De Candidater, som dette Aar skulle dimitteres, ere:

1. *Christian Hieronymus Hübner*, en Sön af Fuldmægtig Hübner ved den kongelige Amtstue i Friderichsborg.
  2. *Jsaach Marius Bendtsen Gad*, en Sön af Hr. E. Gad, anden Præst ved Domkirken i Roeskilde.
  3. *Henrich Christian Lemvigh*, en Sön af Auctions-Directeur Lemvigh i Esbönderup, Ridder af Dannebrogen.
  4. *Niels Peter Petersen*, en Sön af afdöde Eier af Sandholm Petersen.
  5. *Jörgcn Gottfred Petersen*, en Sön af Forligelses-Commisfaire Petersen i Holbek.
  6. *Wilhelm August Görling*, en Sön af afdöde Kiöbmand Görling i Hilleröd.
  7. *Carl Friderich Wilhelm Sarauw*, en Sön af Skovrider Sarauw i Herlöv.
  8. *Knud Bille Sonnesen*, en Sön af afdödc Forvalter Sonnesen paa Giisegaard.
  9. *Edward Gudmand August Hindberg*, en Sön af constitueret Toldskriver Hindberg ved Kiöbenhavns indenlandske Told-Contoir.
-